



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Cap. III. De hæreditate, hæredibus, corumque institutione, substitutione, exhæredatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

beri pro non adjectis, uti etiam *c. ult. de condit. apposi.* decernitur, talibus conditionibus rejectis, pronuntiandum pro valore matrimonii, nisi tamen constet, quod contrahentes revera non consenserint nisi sub conditione impossibili. De cetero ubi Prælati ex sua parte consenserint, ut Religiosus relicto ex voluntate testatoris sibi usum resignet Religioni, valere resignationem, asserit Delben. *num. 10.* remittens ad Sanch. *l. c. num. 9.* ex ea ratione, quod cum talis conditio à testatore adjecta sit in favorem Religiosi, non sit, cur is dictum usum resignare nequeat Religioni.

Quæst. 632. Quinam ex testamento militis aliquid capere possint.

R Esp. Quemadmodum miles testator pro libitu suo quoscunque hæredes scribere potest, etiam aliis incapaces, seu quibus jure communi non competit factio testamenti, puta, deportatum, peregrinum; cum in testamento militis non tam jus civile quam gentium observetur. Lauterb. *in ff. de testam. milit. §. 13.* ita etiam, ut Idem eodem jure habent illi facultatem capiendi aliquid

ex tali testamento juxta *L. 13. §. 2. & L. §. c. de testam.* nisi lex specialiter eos aliquid accipere prohibuerit. Specialiter autem prohibentur servi pænæ. *cit. L. 13. §. 2.* cum malè meritis publicè, ut sit exemplo aliis ad detestanda maleficia, etiam egestate laborare debeat per *L. 31. pr. ff. de positi.* Lauterb. *l. c. Muller. in Struv. ad ff. de testam. milit. ib. §. lit. β.* quamvis Ludwel. *tr. de ult. vol. c. de testam. milit.* assermet, servos pænæ capere aliquid posse ex testamento militis; si nimirum tempore mortis testatoris in civitate reperiantur; cum quoscunque hæredes scribat miles, eorum institutio valeat, & ex tunc convalescat, si tempore mortis tales sint, ut à milite hæredes institui possint, & consequenter sufficit id quoque, ut quis aliquid ex testamento capere possit. Lauterb. Muller. *l. cit.* Item prohibetur ex tali testamento accipere mulier, in quam cadit turpis suspicio. *L. 41. §. 1. ff. de testam. milit.* Hinc concubina militis nihil ex ejus testamento capere potest; sed illi relicto tanquam indignæ auferetur, & cedit fisco. *L. 14. ff. de his que ut indign. aufer.* Lauterb. Muller. *l. cit.* Brunem. *in cit. l. 41.* Item hæretici declarati. ut Lauterb.

CAPUT III.

De hæreditate, hæredibus eorumque institutione, exhæreditatione.

Quæst. 633. Quid sit hæreditas, quid hæres,

R Esp. Quod vivente testatore patrimonium, id eo mortuo dicitur hæreditas, nimirum universum jus defuncti, seu quod habuit defunctus. *L. hæreditas. ff. de R. 7.* quique in jus illud succedit, vel ex testamento & dispositione testatoris, vel ab intestato & dispositione legis, hæres dicitur juxta *L. hæredem. ff. de R. 7.* Porro hæreditas in duodecim partes seu uncias dividitur, quæ simul sumptæ asssem constituunt. Unde tota hæreditas, & totius hæreditatis hæres dicitur ex assse hæres; singulaque hæ partes diversa nomina in jure fortiuntur. §. hæreditas. *Inst. de hæred. instit.* ita ut sexta pars assis quæ complectitur duas uncias dicatur *sextans*, quarta pars continens tres uncias, *quadrans*, tertia pars assis continens quatuor uncias, *triens*, quinque uncia *quincunx*, sex seu dimidium assis *semis*, septem uncia *septunx*, octo uncia *bes*, novem uncia *dostrans*, decem uncia simul sumptæ *as*. appellentur.

Quæst. 634. Quotuplicis generis sint hæredes.

R Esp. Hæredes primò dividuntur in hæredes ab intestato, qui ex dispositione legis independenter à dispositione testatoris; & in hæredes ex testamento seu dispositione testatoris succedunt, unde & instituti seu nominati dicuntur. quales olim dicebantur, qui, si hæredes scribebantur, nolentes volentes hæreditatem etiam cum suo præjudicio vel damno adire debebant. §. 2. *Inst. de hæred. qualit.* et si simul essent sui (quales erant filii ac filia ac nepotes in testatoris patria potestate

constituti juxta *cit. §. 2.*) hæreditatem competentem repudiare non poterant. *cit. §. 2. & L. in suis. ff. de lib. & posthum.* hodierno verò jure, dum etiam hæredibus suis concessum repudiare hæreditatem, non amplius in eo sensu hæredes vocari possunt, quod necessario adire hæreditatem debeant, nec eam repudiare possint; sed quod necessario debeant institui, aut nominatim ex causa legitima exhæreditari. Voluntarii seu liberi, qui & extranei vocantur, sunt reliqui omnes, quos testator liberè instituere vel non instituere potest, seu quos præterire potest citra exhæreditationem.

Quæst. 635. Quinam igitur sint hæredes necessarii, quinam voluntarii.

R Esp. Ad primum: hodierno itaque jure accipiendo nomen hæredis necessarii, hæredes necessarii sunt omnes liberi, sive emancipati, sive non emancipati, seu moriente patre adhuc sub ejus potestate constituti; ita ut inter utrosque in puncto successionis nulla sit differentia, nisi quod, ut aliqui cum Vasq. & aliis, hæredes necessarii & simul sui, hoc est, liberi ac nepotes, in potestate patris testatoris pro tempore mortis ejusdem ipso jure absque aditione acquirant hæreditatem (intellige quò ad dominium, et si non quò ad possessionem, de quo infra) eamque transmittant ad hæredes. Arg. *L. in suis hæredibus. ff. de lib. & posthum.* Emancipati verò, seu necessarii non sui primùm per aditionem acquirant ejus dominium, & absque aditione eam non transmittant ad sibi succedentes hæredes juxta §. 3. *Inst. de hæred. qualit.* Deficientibus verò liberis, hæredes necessarii sunt eorum nepotes ceterique descen-

descendentes in linea recta tam materna quam paterna. his quoque deficientibus, ascendentes in linea recta; ita tamen, ut quamdiu descendentes existant, ascendentes inter hæredes necessarios non computentur. *Novell. 18. c. 1.* Sic itaque hæredes necessarii respectu patris ejusque ascendentium, puta, avi, avia, pro-avi, pro avia, sunt omnes eorum liberi & nepotes, sive masculi, sive feminae, sive emancipati sive non; ita ut, si pater filium aut filiam, avus & avia paterna nepotem vel neptem præterea non instituendo, vel non exhæreditet nominatim causâ legitimâ exhæreditationis expressâ, testamentum ipso jure sit nullum juxta clarum textum. *pr. Inst. de exhæred. liberor. §. 5. eod. Molin. d. 175. num. 35. Covar. inc. Raynucius. h. t. num. 3. cum communiore contra Perez. in cod. de testam. num. 4. Alcias. Grass. & alios docentes, tale testamentum non esse irritum ipso jure, sed posse annullari. his non obstante, §. 5. Inst. de exhæred. liber. dum ibi dicitur quod testamenta, in quibus liberi emancipati nec instituti nec exhæredati sint infirmamanda, cum tamen infirmamanda ibi non sumatur in sensu stricto, quasi talia testamenta ex se infirma primum per sententiam Judicis infirmari debeant, sed ipso jure jam infirma pro talibus declarari debeant; cum aliis etiam testamentis, in quibus sui præteriti sunt, non infirma, sed infirmamanda essent; cum textus de utrisque pari modo loquatur. Idem est de liberis & nepotibus respectu matris & ejus ascendentium, nimirum avi, avia; pro-avi, proavia matris. ita quod ad hoc posterius juxta *Auth. licet. c. de libr. & Novell. 115. c. 3. Clar. §. testamentum, q. 47. Corn. L. 2. conf. 118. lit. a. Manz. tit. 8. n. 54. quos sequitur Reiffenst. h. t. num. 405. Contrarium tamen sentientibus Cujac. in L. 4. ff. de lib. & posthum. circa finem. Duaren. ad tit. de inoff. testam. c. 3. Donell. in Auth. ex causa. c. de lib. præterit. nimirum quod mater vel avia matris necesse non habeat liberos vel nepotes suos vel instituere hæredes vel exhæreditare, sed possit illos silentio præterire, hoc tantumdem faciente quantum exhæreditatio patris, quod posthumum, præteritionem talem pro exhæreditate haberi, si in præteritione expressâ causâ legitima, etiam asserit Clarus, reservato tamen juxta hanc sententiam liberis alio remedio; nempe querelâ inofficiosi testamenti; quâ petitur ejusdem rescissio juxta *L. 3. §. 15. c. de inoff. testam.* Hæredes quoque necessarii sunt liberi naturales legitimi; quia pari jure veniunt cum legitimè natis. *Clar. l. c. q. 84. Hunnius in encycloped. jur. p. 4. tit. 7. c. 1. num. 27.* Secus est de non legitimis; qui tamen respectu testamenti materni sunt hæredes necessarii, ita ut iis præteritis vel nominatim non exhæreditatis, testamentum maternum sit irritum juxta *L. 8. ff. unde cognati L. 1. §. sed & vulgo. ff. ad SC. Tertyl.* nullatenus tamen hæredes necessarii sunt liberi spurii. Sed neque fratres aut forores, ita ut testamentum, in quo penitus præteriti, solis extraneis institutis aut constitutis legatariis, valeat; nisi quod in casu, quo instituta persona turpis, possint fratres & forores consanguinei, id est, ex eodem patre nati, etiam si ex diversa matre, non verò uterini, id est, ex eadem matre nati, possint tale testamentum per querelam inofficiosi testamenti rumpere; non tamen dicere nullum. *Clar. l. c. q. 50. Berlich. p. 3. concl. 11. num. 12. Gomez. var. resol. Tom. 1. c. 11. num. 3. Reiffenst. h. t. n. 417. juxta, §. 1. Inst. de inoff. testam.* Quam tamen querelam inofficiosi testamenti jura restrinxerunt ad solos fratres & forores consanguineos, ita ut eo-**

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

rum liberis non competat. *Gomez. l. c. Berlich. l. c. num. 14. Reiffenst. num. 419.* Per personas verò turpes in præsentem intelliguntur omnes infames infamiam juris, de quibus. *L. 1. §. seq. ff. qui notant. infam.* Item infames infamiam facti, id est, quos scelus aut vitæ turpitudine inquinat. *L. eaque. c. ex quibus caus. infam. irroget.* quales sunt concubinarij, meretricis, mimi, lenones, bonorum dilapidatores, & quicumque malâ famâ apud probos. *Gomez. l. c. n. 38. Haunold. tr. 6. c. 7. num. 428.*

2. Resp. Ad secundum: hæredes voluntarii præter descendentes & ascendentes sunt reliqui omnes, ita ut testator nec fratrem, nec fororem, nec uxorem, nec maritum, nec consanguineum, nec ulum alium pro hærede instituere, vel eis legatum de jure facere teneatur; sed possit illis neglectis suam hæreditatem cuius hæreditatis capaci relinquere, excepta persona turpi.

Quæst. 636. Quinam hæredes institui possint, aut prohibeantur.

1. Resp. Ad primum: hæredes institui possunt omnes, cum quibus est testamenti factio. *§. 4. Inst. de hered. qual. & diff. L. 49. §. 1. ff. de hered. instit. dicitur autem cum eo esse testamenti factio, qui etsi testamentum facere nequeat, potest tamen ipse extestamento capere vel alteri acquirere. sic itaque in specie institui possunt tam personæ veræ quam fictæ, puta, causâ piæ, comunitates, collegia, civitates, item personæ singulares, tam extranei quâ sui, tam Laici quâ Clerici, iij etiam Religiosi, exceptis Capucinis & Franciscanis strictioris observantia, de quibus dictum supra; tam patres familias, quâ filii familias; tam naturales legitimi, quâ legitimè nati, quin & spurii respectu matris, non tamen nati ex damnato seu incestuoso concubitu; hi enim nullatenus succedunt matri, ut dictum supra. Item filii tam nati, quâ nascituri, nimirum in utero jam constituti seu posthumi; iique tam quasi, hoc est, post testamentum jam conditum nati, quam veri, hoc est, post mortem patris nati. *Lauterb. in ff. de hered. instituend. §. 4. & ita quidem, ut sint hæredes necessarii. Reiffenst. num. 407. adeoque, si prætererentur posthumi testamentum sit nullum. Clar. l. c. q. 45. num. 1. & qualiter ex illorum præteritione rumpatur testamentum, vide apud eundem n. 2. & ex infra dicendis. Item amentes, furdi, muti, quin & excommunicati, ut *Pirh. h. t. n. 55.* Item servi proprii, etsi olim cum libertate, hodie tamen etiam sine ea rectè institui possunt hæredes. *p. 2. Inst. de hered. Inst. L. quidam. c. de necess. serv. inst. tacita.* ita etiam, ut libertas data intelligeretur, si expressè in testamento data non est, ut de Lugo. *p. 2. d. 24. num. 74. Muller. ad stru. in ff. de hered. Inst. th. 2.* ubi etiam, quod si in familia permanerint, fiant hæredes necessarii & liberi per *§. servus autem Inst. de hered. instit. & §. necessarii. Inst. de hered. qual. Sed si à vivente testatore manumissi, possunt, si velint, hæreditatem adire. cit. §. servus autem, quod si verò alienati, dominis jubentibus hæreditatem acquirunt. cit. §. §. L. 9. §. 16. L. 50. ff. de hered. instit. Alienati autem servi institui hæredes possunt. cit. §. servus autem, vers. alienus quoque. L. 31. ff. de hered. inst. & L. 10. c. eod. etsi hæreditatem dominorum jussu adeant, ea dominis acquiruntur per *L. 7. §. 2. & L. 18. §. 2. ff. eod.* Potest etiam defuncti servus, item ejus, qui in utero adhuc est, juxta *§. 2. Inst. de hered. inst.* item servus plurius institui hæres. *§. 3. eod.* ita ferè *Muller. l. c.* Possunt quoque Judæi singuli hæredes institui, illis-***

Mmm 2

que

que legata conferri; cum id ut singulis prohibitum non sit, neque expressè sub nomine infamium contineantur. *L. 1. c. de secund. nupt.* Muller. *l. c.* cum Carpz. *p. 3. c. 13. def. 16.* de collegiis verò Judæorum mox dicitur. Ac denique hodieum certi juris est, quòd conjux conjugem hæredem instituere possit. Idem cum Peckio. *de testam. conjug. L. 1. c. 1. num. 3.* quod tamen non possunt secundò nubentes, existentibus liberis ex priorè matrimonio. *L. hac edictali. c. de secund. nupt.* Lauterb. *l. c. §. 9.* in summa itaque omnes institui possunt hæredes, nisi specialiter jure prohibeantur.

2. Resp. Ad secundum: prohibentur autem institui ferè sequentes. Primò servi pœnæ. *L. 3. de his que pro non script. habent. L. 17. ff. de pœn.* Secundò olim peregrini institui non poterant, quod hodieum sublaturum videtur. *Stru. in ff. de hæred. inst. th. 3.* sic peregrinantes institui posse hæredes juxta *§. fin. Inst. de hæred. inst.* ait Muller. *l. c. th. 3. lit. a.* Tertiò deportati. *L. 1. c. eod. l. 16. ff. de interd. & re legat.* quibus hodieum æquiparantur damnati ad remos. Lauterb. *in ff. eod. §. 8.* Quartò banniti seu proscripti ab Imperatore vel Camera Imperiali, qui in multis æquiparantur deportati. Ordo Cameral. *p. 2. tit. 9. §. 2. Gail. de pace publ. l. 2. c. 12. num. 3.* Lauterb. *l. c.* Muller. *cit. th. 3. lit. β.* ubi etiam, qualiter se gerere debeat, qui nihilominus bannitum vult scribere hæredem, ut etiam nepotibus banniti sit cum effectu prospectum. Quartò hæretici publicè tales declarati. *L. 5. c. de hæret. uti & Apostata. L. 13. c. de Apostat.* *Stru. Muller. Lauterb. ll. cit.* Quintò nati ex damnato & incestuoso concubitu. *Aurb. ex complexu. c. de incest. & inutilib. nupt.* Secundum dicta supra, quibus tamen ex æquitate canonica juxta *c. 5. de eo qui duxit in matrim. quam poll. à patre relinqui possunt ac debent alimenta.* Sextò servus de adulterio cum domina accusatus ab ea institui nequit. *pr. Inst. de hæred. inst. vers. est tamen.* Sed neque servus institui potest, cujus dominus institui nequit, etsi valeat ejus institutio, si servus ille manumissus est, vel ad alterius domini capacis institui potestatem venerit. *L. si servus. ff. de acquir. hæred. de Lugo. l. c.* Septimò filii reorum criminis perduellionis. *L. 5. §. 1. c. ad leg. Jul. Majest.* quod à Claro restringi ad liberos natos post commissum crimen contra generalem. *cit. l. rationem,* ait Lauterb. *l. c.* cum Boccr. *de crim. les. majest. c. 3. num. 6.* in tantum tamen restringendum, ut intelligatur de solis filiis, non de filiabus. *cit. l. 5. §. 3.* uti nec de nepotibus. *L. 6. ff. de test. tutor.* Lauterb. *l. c.* cum pœnalia & odiosa sint restringenda. quin etiam Brunem. *ad l. 11. ff. de lib. & posthum.* Lauterb. *l. c.* hujusmodi filiis legitimam relinquentiam putant. Octavò collegia illicita, hoc est specialiter non approbata & privilegiis subnixta. *L. 1. c. de hæredib. instituend. l. 3. §. 1. ff. de colleg. & corp.* Lauterb. *l. c.* Secus est quòd ad singulos de tali collegio, ut Idem cum Carpz. *p. 3. c. 13. def. 37.* Unde etiam nec collegia Judæorum, nec Synagogæ institui possunt hæredes; quia nullibi talia collegia Judæorum sunt approbata. Arg. *L. 1. c. de Judæ.* Muller. *l. c. th. 3. lit. y.* ubi tamen addit: non quòd omnia illorum collegia illicita sint; sed potius quòd viribus & opibus augenda non sint, sed depauperanda. secus si ut singuli considerentur, ut dictum. de quo etiam videri potest Cujac. *L. 7. obs. 30. not. 7.* Nonò tam etsi extra dubium sit, Imperatorem aut Principem institui posse hæredes, cum ii deterioris conditionis esse non debeant quam privati. Welenb. *ad ff. de acquir. rerum domin. n. 27. litis*

tamen fugiendæ causâ (ut dum quis institueret Principem, ne quis creditorum aut hæredum ab intestato, &c. hæredi tam potenti litem intentare audeat) instituendi non sunt. *Srru. in ff. de hæred. instituend. th. 3. lit. t.* Muller. *ibid.* plura de incapacibus institui vide supra, ubi quinam ex testamento accipere possunt. Potrò dum hi incapaces institutionis instituuntur, institutio ipso jure nulla est, non tamen hæreditas aut quod relinquitur, fisco accipitur. Lauterb. *l. c. §. 11.* *Stru. cit. th. lit. δ.* Sed eorum portio ad substitutos vel ad hæredes ab intestato pervenit. *L. 3. ff. de his qui pro non script. habent.* Muller. *ad Stru. cit. lit. δ.* Lauterb. *l. c.* qui tamen in hoc incapaces distinguit ab indignis (quales sunt, qui ipso jure quidem institui possunt, sed iis propter delictum aliquod contra testatorem vel testamentum, vel aliam ob causam hæreditas auferatur) quòd his institutis, hæreditas deferatur fisco juxta *L. 1. ff. de jure fisci.*

Quæst. 637. Quid & quotuplex sit institutio.

1. Resp. Ad primum: institutio hæredis nihil aliud est quam futuri hæredis seu successoris designatio, seu nominatio facta à testatore directis verbis. *L. 1. §. 1. ff. de vulg. & pupill. substit. Lauterb. ad ff. de hæred. Inst. §. 1.* Muller. *ibid. th. 1. lit. y.* Dicitur primò: facta à testatore ad distinctionem hæredis futuri à legibus denominati, qui improprie dicitur institutus. dicitur secundò: directè seu directis verbis facta: per quod distinguitur hæres institutus à fideicommissario, qui non nisi verbis obliquis instituitur. Lauterb. *l. c.*

2. Resp. Ad secundum: dividitur institutio in primam, seu quæ proprie talis dicitur, & in secundam, quæ proprie substitutio dicitur, de qua paulò post. Proprie talis alia est necessaria, quæ fit ex juris necessitate earum nempe personarum, quæ ex eadem necessitate institui vel exhæreditari debent. alia voluntaria, nempe earum personarum, quas liberè testator potest praterire absque eo, quòd eas exhæredet.

Quæst. 638. Quibus verbis facienda institutio.

Resp. Institutio nullam certam verborum formam requirit, sed fieri potest quibuscumque verbis, modò ex iis voluntas testatoris sufficienter constet. *L. quoniam. c. h. t.* idque absque eo, quòd testator utatur nomine hæredis; etsi eo uti sit securus, cum, si omisso hoc nomine relinquat determinatum dicendo v. g. relinquo Titio domum meam, testamentum non valeat in vim testamenti, sed tantum in vim codicilli, eo quod nec implicita, nec explicita adsit seu appareat voluntas instituendi hæredem, quæ tamen est de essentia testamenti. Reiffent. *h. t. 421.* Sic etiam perinde est, an testator utatur verbis directis in personam testatoris. v. g. dicendo: assigno, instituo, transfero omnia mea, exceptis legatis; sive conceptis in personam hæredis. v. g. dicendo: pertineant, habeat, accipiat omnia mea, succedat. Lauterb. *ad ff. de hæred. inst.*

Quæst. 631. An & qualiter institutio debeat esse libera, & non captatoria.

1. Resp. Ad primum: institutio hæredis, ut valeat, debet esse libera. unde extorta per metum est nulla. *ad ff. de hæred. inst. th. 8.* Muller. *ibid. & in ff. qui testam. fac. poss. th. 8. lit. a.* cum communi. idque, etiam si metum sequantur bona verba,

verba, testamentum seu institutio manet invalida; quia durat eadem causa metus & cogendi potestas. Farinac. oper. crim. g. 161. num. 36. & 93. Sichard. in cod. ad tit. si quis testam. prohib. num. 14. Manz. de testam. valid. & invalid. tit. 1. num. 51. & metus lapsu temporis non mitigatur, sed potius animum passim metum exacerbatur; & metus semel per atrocitatem incussus perpetuus censetur, etiam inter conjuges, adeoque etiam, dum conjugem blandiendo ad hereditatem relinquendam induxisset; adhuc non libero animo, sed metus causa reliquisset censendus est, ut Muller. cit. ib. 5. cum Peckio de testam. conjug. l. 1. c. 9. num. 2. & 3. ex quo tamen non sequitur, quod tradunt Duaren. ad l. 1. de testam. Menoch. de arbr. cas. 395. num. 7. Peregr. de jure fisci tit. 6. num. 4. Fachin. l. 10. controu. c. 15. nimirum hereditatem ex hujusmodi delatam auferendam heredi per vim instituto, & fisco applicandam; cum iniquissimum foret hanc conditionem inferri agnato proximo, si is ob sceleratum factum alterius commodo hereditatis privaretur, fisco bona auferrent. Muller. l. c. cum Carpz. p. 1. c. 5. d. 16. Brunem. ad l. fin. ff. si quis aliq. prohib. vel coeger. Idem est, si institutio à testatore dolo inducto obventa, quia is juxta L. ff. de dolo. consensum excludit, & consequenter libertatem tollit. Stru. cit. ib. 5. lit. 8. Muller. ibid. Sed neque valet institutio extorta importunis precibus & sollicitationibus. Stru. in ff. de hered. inst. ib. 8. lit. 8. Muller. ibid. siquidem istiusmodi immoderate & importuna flagitationes aliquo modo cogere, & quoddam violentia genus in se continere, & vim & effectum justis metus habere dicuntur. Castill. p. 3. controu. c. 1. n. 114. n. 12. & seq. equiparanturque extorsioni. Peck. l. c. n. 9. Unde vel maximè repugnant testamenti facti seu institutioni, utpote quæ verè liberi & liberalis animi, improbam extorsionem non admittit. Peck. l. c. Manz. l. c. g. 1. num. 8. Carpz. p. 3. c. 5. d. 9. num. 2. Muller. l. c. Unde testator, quod semel iterumque negatum, tandem importunitate petendi victus concedit, in vitis concedere præsumitur. Manz. l. c. g. 4. num. 8. Porro pro importunis sollicitationibus habentur eæ, quæ sunt instantissimæ, sæpe iteratæ, & propter iterationem immodicæ testamentum reddunt meticulousum. Castillo. l. c. num. 114. 124. qui tamen n. 138. censet id Judicis arbitrio discernendum. Exemplum testamenti, quod rectè & regulariter præsumitur factum ad istiusmodi importunas sollicitationes cum Manz. l. c. g. 3. num. 15. Menoch. de præsump. l. 4. præsump. 12. num. 10. illud ponit Muller. l. c. quod facit testator instituendo secundam uxorem ejusque liberos hæredes, prioris matrimonii liberos præteritis. eò quod ex L. 4. ff. de moff. testam. Tiraq. Mascard. Brunem. alique plerique DD. colligant, quòd quidquid faciunt patres adversus liberos habentes novercas, id facere præsumantur novercatis per suasionibus inducti. Aliud quoque exemplum justæ præsumptionis, institutionem factam ex metu, affert Muller. dum uxor diceret marito decumbenti, se illum deserturam in infirmitate, nisi se instituat hæredem. De cætero adhibere preces, rogationes, & hortationes ad impetrandam institutionem, modò non transeant in importunas sollicitationes, libertati illius non officit; non enim cogit, qui rogat, cum relinquatur in arbitrio rogati, num velit rogationi locum dare necne. Manz. l. c. tit. 3. g. 3. num. 5. Carpz. Jurisp. consistor. l. 2. tit. 20. def. 322. num. 10. Muller. l. c. idiplum etiam procedere dicens cum Menoch. conf. 431. num. 32. etiam si

preces potentiorum. Idem est de blanditiis, adulationibus aliisque verborum illecebris; cum nec hæc plene libertatem humanæ voluntatis impediunt, sed solum eam invitent & concilient. Manz. l. c. Brunem. ad l. 3. c. de testam. num. 1. Muller. l. c. lit. 1. idem dicentes de lacrymis, nisi hæc sint dolosæ, ut sæpe contingit. Habentque hæc locum non tantum in ordine ad primitus obtinendam institutionem; sed etiam ad alliciendum, ne facta institutio revocetur. L. ult. ff. si quis aliq. test. prohib. Perez. in Cod. eod. Paris. L. 3. conf. 67. num. 51. Muller. l. c. quini & ad impetrandum, ut testamentum jam conditum revocetur in præjudicium institutorum in eo & in commodum rogantis. ut Stryck. de jure blandit. c. 4. num. 15. & seq. dissentientibus. Capoll. cant. 36. v. licet blandis. Cravet. L. 4. conf. 670. n. 3. aliique ab eis citati. docentes solas blanditias adhibitas post primum testamentum, ut fiat secundum, impedire revocationem primi per secundum, etiam dolo non probato. dissentiente item Angelo. in l. ult. c. si quis. aliq. test. prohib. quatenus allerit primum institutum in hoc casu posse hereditatem vel legatum sibi relictum consequi per actionem de dolo, vel per actionem in factum.

2. Resp. Ad secundum: institutio captatoria (qualis dicitur, dum quis spe alterius reciproca institutionis instituit aliquem, vel potius voluntatem suam instituendi designat. v. g. dicendo: ex qua parte Titius me hæredem scribit, ex ea hæres meus esto; ac ita hoc hamo captat seu piscatur hereditatem alterius pinguiorem. Stryck. l. c. n. 65. & 68. Dauth. de testam. num. 26.) est prohibita. L. captatorias. ff. de hered. inst. & neque in hereditatibus, neque in legatis valet. L. captatorias. ff. de legat. 1. cujus prohibitionis hæc est ratio ad æquata; quòd voluntas illa captatoria est turpis, utpote meram fraudem alterius hereditatem acquirendi continens, ut ex Dauth. l. c. num. 27. Muller. l. c. lit. 2. Unde ne quidem in testamentis privilegiatis. v. g. militaribus valet. L. 11. c. de testam. milit. cum his quidem ob ignorantiam faveant, non tamen eorum fraudes jura foveant, ut Brunem. ad l. 70. ff. de hered. instituend. num. 2. Quin hæc in testamentis ad pias causas permittitur. Brunem. in l. 11. c. de testam. cum Ecclesiæ ex fraude compendium querere non sit conveniens, ut Stryck. l. c. n. 76. contrarium tamen sentiente quòd ad causas pias. Bartolo. ad cit. l. 70. in fine per c. cum tibi. h. l. Sed neque talis captatoria dispositio convalescit per approbationem hæredum ab intestato; quia tanquam deceptoris & auferens liberam testandi facultatem repugnat bonis moribus, cujusque nullitas concernit favorem publicum, adeoque partium consensu confirmari nequit. Muller. l. c. cum Surdo. decis. 53. & aliis ab eo citatis. Porro ut voluntas & institutio sit captatoria, requiritur, ut concepta seu collata in futurum, & non in præteritum post testamentum confectum; cum non possit videri captari, quod jam dispositum est. Zoës. ad ff. de hered. inst. n. 5. & 6. Coraf. s. miscell. 13. Donell. in coment. l. 6. c. 19. in fine. Cujac. L. 16. obs. ib. 11. Muller. l. c. Lauterb. ad cit. tit. 5. 19. & potius talis dispositio sit si-gnum grati animi. Manz. l. c. tit. 6. g. 25. num. 13. Unde jam etiam testamenta reciproca conjugum præsertim sterilium, & quorum ætas provecta profifica non est, in eadem charta uno eodemque tempore confecta rationem captatoris institutionis non habent, sed sustinentur; cum unius voluntas ab alterius arbitrio non dependeat sed utraque libera sit, & conjugalis amor suspicionem captionis præmi-
exclu-

excludat, nisi tamen captatoria voluntas exprimat, ut dum maritus diceret uxori: instituo te heredem, si à te instituar haeres; hæc enim haberetur pro captatione pecuniæ conjugalis. Lauterb. *cit.* §. 19. cum Brunem. *ad cit.* l. 70. num. 4. Potest quoque invitatus per institutionem captatoriam instituere testatorem talem invitantem, ita ut valeat hæc secunda institutio, esto, quòd prima valida non sit; cum nullibi prohibeatur quis instituentem se vicissim instituere, nullaque sit in secunda illa institutione captatio, dum licet secundus institutor fuerit invitatus spe lucri, quia tamen scivit primam institutionem sui ab altero factam esse nullam, adeoque nullam per eam sibi deferri utilitatem, cessat omne motivum instituendi instituentem se, estque ei liberum illum non instituere. Cujus tamen contrarium esset, si putasset primam institutionem validam esse, aut ex testamento apparet eum motum fuisse ad instituendum, ut impleret conditionem positam à primo instituente, ut cum Peckio. *de testam. conjug.* l. 1. c. 44. num. 2. Muller, l. c.

Quest. 640. An & qualiter institutio debeat esse certa.

REsp. Institutio, ut valeat, debet esse certa imprimis in hoc sensu, ut non ambiguit sed clarè constet de intentione testatoris. quare, si testamentum scriptum est, adhiberi non debent notæ & abbreviaturæ inusitatæ, ex quibus vix sensus certus scripturæ percipi possit. *L. 6. §. ult. de bonor. possess.* Muller. *instru. ad ff. de hered. instit. th. 8. lit. u.* dein in eo quoque sensu certa esse debet, ut per eam constet de certa persona instituti in heredem, vel ex nomine illius aliòve signo indubitabili. *L. 9. in pr. & §. 8. & seq. l. 58. l. 62. §. 1. ff. de hered. instit. l. 4. c. eod.* Unde non valet institutio, quâ quis habens plures amicos, qui vocantur Joannes, instituit Joannem, & sciri aliunde non potest, de quo Joanne senserit. *cit. l. 61.* Idem est, dum habens plures fratres, dicit: instituo fratrem. Muller. *cit. th. 18. lit. n.* cum communi. ubi tamen, quòd aliqui cum Bartol. in *L. duo sunt Titii. de testam. tutor.* Admittant talem institutionem, si probari possit testatorem unum ex illis ejusdem nominis præ aliis dilexisse. Non tamen vitatur institutio, si erratum in hæredis patre, patria, qualitate, officio, nomine; vel etiam ob falsam demonstrationem, modò aliàs de persona constet. *cit. l. 62. l. 48. §. 2. l. 58. ff. l. 5. c. de hered. inst.* Non vitatur quoque institutio, si testator in testamento suo certum heredem non expresserit, illum tamen designavit per relationem ad certam schedam vel scripturam, in qua nomen hæredis expressum, ita tamen, quòd non nisi post mortem testatoris ejus persona veniat certificanda. idque etiã non tantum quòd ad legata & relicta particularia, ut vult Jason. in *l. certum. ff. si certum petatur. post. n. 1.* Sed etiam in institutione hæredis universalis. *Clar. §. testamentum. q. 36. num. 2.* citans Paris. *L. 3. conf. 19. n. 13.* testantem de communi. Natta. in *Aurb. quod sine c. de testam. n. 26.* quamvis addat Clarus, quòd licet negari nequeat, hanc opinionem in puncto juris non parvam pati difficultatem, nihilominus propter auctoritatem DD. illam tenentium ac stante communi observantiã, non sit ab ea recedendum, modò liquidò constet, schedam esse illam, ad quam testator se retulerit, ut Bartol. in *L. si ita scripsero. ff. de condit. & demonstr. Paris. l. c. n. 26.* Sed neque vitatur institutio (quæ est limitatio responsionis ordinaria) quâ haeres instituitur causa pia, etsi nulla in particulari exprimat, dicendo.

v.g. instituo causas pias; vel instituo pauperes. *Stru. cit. th. 8. lit. a.* Muller, *ibid.* Perez. in *cod. de hered. instit. n. 9. in fine.* Wesenb. *tit. eod. th. 9.* cum communi. Arg. *L. 24. c. de Episc. & Cler.* Circa hæc tamen notandum, quòd asserit Muller. l. c. cum Strauch. *de person. incert. c. 6. th. 10.* Nimirum, quòd si pauperes vel pia causa in genere instituantur, neque pauperes cunctos, neque singulos, sed Episcopos vel æconyomos nomen hæredum gerere, actionesque movere & suscipere hereditatem & bona relicta fructusque ad pauperum alimenta aliasque causas pias erogare. Verum quidquid sit de nomine hæredum, re ipsa pauperes in communi sunt instituti hæredes, Episcopi & æconismo non nisi officio executorum & distributorum fungentibus dividendo hereditatem inter singulos eorum, aut etiam, si frugifera est, ex ejus fructibus præbendo iis in annos alimenta. de cætero hæredis profani institutio commissa alterius arbitrio v.g. dum testator diceret: heredem instituo, quem Caius voluerit seu designaverit; vel heredem post mortem meam nominandum comitto; non valet juxta clarum textum, *L. ita insti. 32. ff. de hered. inst.* idque ex e ratione, quòd, uti ibidem dicitur, testamentum jura ipsa per se firma esse oportet; adeoque non dependere ab alieno arbitrio, & quia incertum in hoc casu est consilium; quòd tamen certum esse debebat, ut Ulpian. in *fragment. tit. 22. §. incertum.* Harpr. *ad pr. Inst. de testam. ordin. n. 48.* Mantic. *de conjest. ult. vol. p. 4. t. 3.* Muller, *loc. mox citand.* His non obstante c. cum tibi. h. t. ubi: *dicimus, quòd qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus, &c.* Cum hoc Capitulum ad piam causam, cujus favore in institutione illius in heredem arbitrium tertii admittitur, non sit extendendum, ut agnoscunt plerique AA. Tiraq. *de privil. pie caus. privil. 64.* Velac. *consult. 68.* Barbof. *ad cit. c. 2. num. 2.* Alciat. & alii, quos citat & sequitur Muller. *cit. th. 8. lit. p. in fine.* Quòd si tamen testator arbitrium tertii ad certum genus, etiam profanarum personarum, restrinxerit, dicendo v.g. volo heredem meum esse, vel heredem instituo unam ex fororibus meis, quam uxor mea vel mater earum elegerit seu designaverit, valebit institutio. Reiffenst. *h. t. num. 336.* citans Hann. *p. 4. tit. 7. c. 2. num. 10.* Sichard. *ad rubr. cod. de hered. inst.* Haunold. *Tom 2. tr. 6. c. 5. num. 332.* Muller. l. c. referens pro hoc Manz. *de testam. valid. tit. 6. q. 24. num. 6.* & Covar. *ad cit. c. cum tibi. num. 14.* Vide eundem Muller. *cit. th. 8. lit. n.* ubi etiam, an & qualiter incertitudo futuri eventus invalidet institutionem conceptam. v.g. his verbis: heredem instituo, qui post mortem meam ducturus est in uxorem filiam meam. Estque horum ratio, quòd hoc modo ipsa institutio verè non committitur arbitrio alterius; cum hic non possit aliquid pro licito, sed teneatur necessariò unum ex designatis eligere.

Quest. 641. An & sub qua conditione fieri possit institutio, & in specie filii.

1. **R**Esp. Primò supponendo in genere, quòd certum est apud omnes Arg. totius *tit. de condit. instit.* institutio hæredis valide fiat sub conditione. est autem conditio aliquid, vi cujus actus testamentarius, scilicet institutio aut relicto legati suspenditur seu differtur usque ad futurum aliquem eventum incertum. *L. 41. de V. O.* Unde patet duo requiri ad esse conditionis; primum, ut eventus sit futu-

futurus; dum quæ respiciunt præsens & præteritum tempus, actum non suspendant. Unde institutionem, quam quis dicit: hæres meus esto, si filius meus mortuus; non esse conditionam, ait Lauterb. *ad ff. de condit. instit.* §. 1. etsi enim hoc testator sit incognitum & incertum, ignorantia tamen rei ejusdem existentis veritati nihil detrahet. Alterum, ut eventus sit incertus, ita ut indifferenter se habeat ad esse & non esse. Et per hoc distinguitur ab adjectione diei. Lauterb. *l. c.* intellige tamen certi. v. g. Calend. Jan. & hæc institutionem conditionalem efficere nequit. Secus est de adjectione diei incerti. Dicitur autem dies dupliciter incertus. Primum dum incertum an & quando exiturus sit. v. g. si Titius Consul factus fuerit. Secundò, si tantum incertum an v. g. si Titius 70. annos natus fuerit. & hi duo modi conditionem constituunt & negotium reddunt conditionale, recteque institutioni adjici possunt. Tertio, dum tantum incertum quando v. g. Titius morietur, & hic modus conditionem non constituit. Muller. *ad ff. de condit. instit.* *ib. 41. lit. e.* Lauterb. *ibid.* §. 13. quitamen quò ad tertium modum distinguendum ait, quem vide. Porro conditio multifariam dividitur; dum alia est impossibilis, quæ nimirum vel à natura implebilis non est, vel à lege impleri prohibetur, & ideo turpis seu non honesta est; & hæc pro non adjecta habetur. Alia possibilis, quæ à natura impleri potest, & à lege impleri non prohibetur. hæc est vel expressa vel tacita, pro ut vel verbis exprimitur, vel solo intellectu percipitur & subintelligitur. Item ea vel est potestativa, cujus eventus dependet à voluntate & facultate implendi illius, cui apponitur seu præscribitur. v. g. in præsentem hæresis; ut dum dicitur: si decem dederis, hæres esto. vel casualis, cujus existentia ex alieno arbitrio vel casu fortuito dependet. v. g. si debita à Titio obtinueris; vel si annus 50. ætatis attigeris. vel est mixta, quæ partim à voluntate & potestate hæredis, partim à fortuna dependet. v. g. si ex Gallia redieris; cum ad hoc requiratur & voluntas tua redeundi, & ne ullo casu redire impediaris. His itaque suppositis, ut constat, sub qua conditione valeat & permissa sit institutio, differentia hæredum spectanda est. quare

2. Resp. Secundò: extraneus sub quacunque conditione possibili, sive ea sit potestativa, sive casualis, sive mixta, hæres institui potest; cum liberum testatori sit illum instituire vel non instituire. *L. 35. §. 3. ff. de hered. instit.* Carpz. *p. 3. c. 9. d. 18. num. 7. §. seq.* Jalón. *in L. si pater. c. de inst. §. sub. §. 1.* Gomez. *var. resol. Tom. 2. c. 2. num. 22.* Lauterb. *l. c. §. 5.* Muller. *l. c. ib. 45.* cum communi & certa. Si verò instituitur sub conditione impossibili vel turpi, ea pro non adjecta habetur, valetque testamentum seu institutio, quæ pro purè facta habetur, ac si adjecta non fuisset, pro ut constat ex claris textibus. §. *impossibilis. Inst. de hered. instit. §. L. conditiones. ff. de condit. instit.* Cujus contrarium est in institutione filii sub tali conditione impossibili; hæc enim vitiat ipsam institutionem & nullam reddit. Lauterb. *l. c. §. 8.* Reiffenst. *h. t. num. 441.* cum communi juxta *L. 15. §. 1. fin. ff. de condit. instit.* Quòd si tamen conditio non sit simpliciter impossibilis, sed solum ad tempus differat negotium, suo tempore implenda est. *L. 58. ff. de condit. instit.* *L. 66. ff. de V. O.* Lauterb. *l. c. §. 10.* Porro conditio potestativa ab instituto implenda, ita ut ea deficiente, planè deficiat ejus institutio, & datur locus ab intestato succedendi. & quidem implenda regulariter in forma specifica, & non per æquipollens. Lau-

terb. *l. c. §. 5.* juxta *ll. 44. 65. 101. ff. de condit. instit.* Quamvis interdum ex æquitate sufficiat æquipollens; dum nimirum impossibile est, ut impleatur specificè. *L. 3. c. de inst. §. subst. l. 44. ff. de condit. instit.* & instituentis voluntati per æquipollens æquè satisfieri possit. *L. 84. §. de legat. 1.* Brunem. *ad cit. l. 3. num. 4. §. 5.* Lauterb. *cit. §. 5.* Quin & conditionem potestativam non impleam haberi pro impleta, si à tertii voluntate dependeat non impletio. v. g. si Titius Seiam duxerit, & Seia nubere nolit; asserit Lauterb. §. 5. citatis. *L. 8. §. 7. l. 11. ff. de condit. instit.* Quamvis addat, hoc modo conditionem non retinere naturam conditionis potestativæ ordinariæ, multoque magis id locum habet, si impletio impediatur à tertio, qui aspirat ad hereditatem. v. g. ab eo, qui ab intestato successurus est juxta *L. 161. ff. de R. 7.* Unde jam universaliter dicendum; quòd quoties sine culpa instituti deficit seu non impletur conditio potestativa, pro impleta habenda sit juxta *L. 26. ff. de condit. instit. & Regul. 66. juris in 6.* quod tamen ipsum sic limitandum; nisi certò & manifestè constet, testatorem absolute voluisse institutionem alligare eventui talis conditionis. v. g. dicendo: Titium instituo hæredem, si filios acquisiverit, Titiusque nubat, & penes eum non steret, quò minus filios acquirat, non censetur impleta conditio; adeòque non valebit institutio; quia in hoc casu manifestè constat testatorem alligasse institutionem conditioni procreacionis liberorum intuitu stemmatis vel familiae conservandæ. Reiffenst. *h. t. num. 444.* cum Haunold. *ir. 6. c. 6. controvers. 2. num. 346.* Sufficit quoque hanc conditionem, v. g. si Titio liberi nascantur: semel impletam esse, licet non duraverit, sed liberi vivo testatore iterum decedant. *L. 6. c. de inst. §. subst.* Lauterb. *l. c.* nisi tamen adhibita verba, quæ perpetuitatem conditionis significant. Idem cum Bruil. *L. 3 tit. 2. num. 25.* Item implenda conditio hæc perfectè. *L. 30. ff. quando dies. leg.* Etsi plures conditiones potestativæ conjunctim adjectæ, omnes implendæ. §. 11. *Inst. de hered. instit. l. 5. ff. de condit. instit.* etsi disjunctim, sufficit impleri quamlibet. *cit. h. Brunem. ad l. 6. c. de inst. §. subst.* Casualis verò conditio adjecta institutioni extranei expectanda est, implerique potest quandocunque seu omni tempore, etiam vivo testatore. *L. 2. 10. 11. 21. ff. de condit. §. demonstr.* Brunem. *ad l. 7. c. eod. num. 5.* Lauterb. *l. c. §. 6.* & ubi extiterit purificatur, & retrahitur ad tempus institutionis. *L. 11. §. 1. ff. qui pot. in pign. l. fin. §. 1. de vulg. §. pupill. subst.* Lauterb. *cit. §. 5.* Potestativa autem, etsi certum tempus ei additum non sit, regulariter post mortem prius testatoris implenda; quia donec is moriatur, voluntatem mutare potest. Lauterb. §. 6. cum Carpz. quamvis quandoque natura postulet, ut vivo testatore impleatur, dum dicitur v. g. Titia, si mihi nupleris, hæres mea esto. Lauterb. *ibidem.* Mixta ante & post negotium, vivo & mortuo testatore, pro rei exigentia impleri potest. *L. 61. 68. 91. ff. de condit. §. demonstr.* Brunem. *in cit. l. 91. n. 3.* Gothofred. *sign. fin.* Lauterb. *l. c.*

3. Resp. Tertio: hæres suus, ut filius familias institui potest sub conditione potestativa ab eo facile implenda, ita ut, si eam non impleverit, tacite hæreditati renunciassè censetur juxta claros textus. *L. 4. ff. de hered. instit. l. 4. c. de inst. §. subst. l. fin. ff. de condit. instit.* Clar. §. *testam. q. 31. num. 1.* Scrit. *ad ff. de condit. instit. ib. 46.* Lauterb. *ibid.* §. 3. contra Bart. *conf. 198. num. 1.* apud Clar. & alios quosdam apud Lauterb. *l. c. §. 4.* qui putant jure novo

sub

sub quacunque conditione filiusfamilias institutus fuerit, posse eam conditionem detrahi, & pro non adjecta haberi. Arg. *L. 32. c. de inoff. testam.* quæ tamen lex loquitur de eo casu solum, in quo hæc conditio potestativa quid detrahat vel impediatur, aut alio modo noceat; tunc enim pro non adjecta habetur. *L. 32. §. l. 36. c. de inoff. testam.* Franck, ad *L. Gallus. d. 5. m. 1. s. 2. §. 3.* Lauterb. *l. c.* qualiter tamen legitima tali conditione gravari possit. vide apud eundem. Extendunturque hæc à fortiore etiam ad filios & nepotes non suos, sed emancipatos, item ad filias & neptes, ita ut hi institui possint sub conditione potestativa. Lauterb. *l. c.* Nequaquam tamen sui institui possunt sub conditione casuali aut mixta, estque talis institutio nullius momenti. *L. 5. ff. de hered. inst. l. 4. §. 88. ff. de condit. & demonstr. ex ea ratione, quia pendente tali conditione non sunt instituti, & ea deficiente, contra leges sunt præteriti, nisi sub conditione contraria nominatim sint exhereditati; tunc enim, etsi deficiat conditio, valebit institutio & exhereditatio. ita Lauterb. §. 3.* Extenditur & hoc ipsum jure novo, puta *L. 4. in fin. c. de liber. præterit. §. novell. 115. c. 3. §. 4.* ad omnes liberos seu omnes necessarii instituendos vel exhereditandos. Clar. *l. c. num. 3.* Stru. ad *ff. de condit. instit. th. 46. in fin.* Lauterb. *cit. §. 4. in fin. dum aliàs jure veteri. L. 4. ff. de hered. inst. l. 1. §. 8. de suis & legitim.* Nepotes institui poterant sub quacunque conditione possibili & honesta. nunc huc colligendo quædam ex antecedentibus.

4. Resp. Quartò: conditionis adjectæ tam potestativæ quàm casualis effectus est, quòd ea pendente, pendeat quoque institutio, ita ut jure civili hæres scriptus nec adire possit hereditatem, nec de super conveniri. *L. 65. ff. de condit. & demonstr. Lauterb. l. c. §. 7.* jure tamen prætorio potest eam agnoscere, sed solum, ut eam tanquam curator administraret. Arg. *L. 4. ff. de hered. instit. Lauterb. l. c.* in quo tamen casu permittatur ei actio, videndum apud Brussel. *L. 3. tit. 1. num. 27.* ad quem remittit Lauterb. Existente verò conditione post mortem testatoris, fingitur retrofacta à morte ejusdem. *L. fin. §. 1. ff. de vulg. & pupill. subst. Lauterb. l. c. deficiente, totum testamentum corrui perinde ac si nihil factum, sub limitatione tamen facta. resp. præced. §. 2. Inst. quib. mod. testam. infirm. & relinquatur successioni ab intestato locus. Conditionis potestativæ effectus specialis est, quòd respectu hæredis necessarii ex necessario faciat voluntarium, in quantum is absque beneficio prætoris, non parendo conditioni, abstinere possit ab hereditate. *L. 4. ff. de hered. inst. Struv. ad ff. de condit. instit. th. 48. lit. a.* respectu testatoris, quòd non reddatur intestatus, dum institutus habens cohæredem vel substitutum si moriatur ante impletionem conditionis impedire nequit, quò minus cohæres vel substitutus, non expectato conditionis eventu, adire possit hereditatem (quippe adjectio conditionis ad substitutum non pertinet, nisi in substitutione fuerit expressè repetita. Lauterb. *cit. §. 7.* juxta *L. 73. de hered. instit. quod non possit, si testamentum per hoc rumpi aut nullum dici possit. Stru. l. c. lit. ß. Muller. ibid.* Sitamen filius institutus nec cohæredem, nec substitutum habens, non pareat conditioni, pater intestatus reddatur sub hæc tamen distinctione, ut, si conditio talis sit, quæ non nisi ultimo vitæ spiritu impleri potuit, ipse filius ab intestato hæres sit, adeoque hereditatem transmittere potest ad suos hæredes. Si verò impleri potuit (veluti dum conditio fuit: si Titio dederit æquum;*

hoc enim nomine & jussu filii per alium impleri potest) neque filius institutus patri ex testamento, neque ab intestato succedere potest, adeoque nec hereditatem transmitteret; quia non fuit defuncti patris hæres. Stru. *l. c. lit. y. §. 8.* & cum eo Muller. Porrò qualem adjectio conditionis impossibilis vel turpis (qualis adhuc censetur, etsi turpitudinem intrinsecam non contineat, modò contra legem vel edictum Prætoris aliquid præscribat) effectum habeat respectu filii, dictum est resp. Huc quoque referentur conditiones derisorie. fumitur autem derisorium pro eo, quod magis derisorium quam utile est. & licet non semper, quandoque tamen turpitudinem, & quod contra bonos mores est, continet, harum conditionum exempla, & qualiter vitent vel non vitent dispositionem testaris, vide apud Muller. *l. c. th. 49. lit. y.*

Quæst. 642. An & qualiter divisio bonorum facta à patre inter filios habeatur loco institutionis.

1. Resp. Primò, supponendo, quòd pater hanc divisionem se vivo facere nequeat; quia habet se instar donationis, quæ inter partem & filium in potestate ejus constitutum regulariter non substituit. *L. 1. ff. de usu cap. don. l. donationes. c. de donat. inter vir. & uxor.* facta tamen, & testamento vel codicillis confirmata valet, & à filiis servanda; quia vim & rationem ultimæ voluntatis tunc habet, ut Gail. *L. 2. obs. 116. num. 1.* citatis pluribus, idque etiam sit inæqualis; quia illa divisio vim prælegatorum habet, ut Idem *n. 2.* modò tamen quisque filiorum legitimam suam salvam & integram habeat. Idem *num. 3. & 4.* In bonis verò feudilibus fieri nequit; sed solum in propriis & allodialibus, de quo vide Gail. *l. c. à num. 9.* His itaque suppositis.

2. Resp. Secundò: divisio hæc facta in testamento paterno institutionis loco habetur, si facta per partes hereditarias, puta, dicendo v. g. volo, ut filius meus Joannes habeat quartam partem, filius Petrus tertiam, Paulus dimidiam; cum non omnis testator dicere sciat: hæredem instituo. Gail. *l. c. num. 7. & 8.* cum gl. in *L. quoties. ff. famil. heriscunda. v. dividit.* quàm Bald. *ibid. n. 3.* valde deprædicat. Si verò fiat divisio de rebus particularibus, verbum *divido* vel *assigno*, hæredis institutionem non significat; sed erit simplex relictum & codicillus ab intestato, eò quòd hæredis institutione careat. & sic filii non nisi ab intestato succedunt in rebus sibi assignatis. Bald. in *cit. L. quoties.* Bart. in *L. illa institutio. ff. de hered. inst. num. 3.* ubi, quòd verbum relinquo adjectum universitati ad institutionem trahatur. Secus si rei particulari adjectum. Gail. *cit. n. 8.*

Quæst. 643. Institutio unius solius ad que se extendat.

Resp. Dum unum solum simpliciter, nullius rei in particulari mentionem faciens, instituit testator, dubium non est, quin succedat in totam hereditatem, Dum etiam unum solum in hæredem instituit in re vel parte certa, etiam minima, v. g. dicendo: hæredem instituo Titium ex semisse vel quadrante; vel assigno ei pro hereditaria portione domum meam, vel 1000. florenos, reputatur hæres ex assè, succeditque in tota hereditate, exclusis etiam ab intestato successuris. Tusch. *Lit. 7. concl. 3. num. 13.* Jason. in *L. extraneum. c. de hered. instit. Peregr. de fideicom. art. 5. num. 34.* Hunn. *p. 4. m. 7. c. 5. num. 12.* Lauterb. ad *ff. de hered. inst. §. 12.* Reiffenst.

Reiffent. *h. t. n. 423*. Arg. *L. 1. §. 4. ff. eod. ubi*: si ex fundo fuisset aliquis institutus, valet institutio, detracta fundi mentione &c. hoc est, tota hereditas acquiritur, ac si simpliciter nulla mentione facta rei particularis esset quis institutus. idque ex ea ratione; quod nemo possit partim testatus, partim intestatus decedere. juxta *L. 7. ff. de R. §. & ut inquit* Lauterb. *l. c.* implicat contradictionem; unum solum esse rei singularis heredem. Arg. *L. 62. ff. de R. §.* Sed neque testator instituens aliquem pro parte specialiter, prohibere potest, ne reliquæ partes ei accrescant. Lauterb. *cit. §. 12.* juxta *L. 13. c. de hered. inst.* cum nemo in suo testamento cavere possit, ne leges locum habeant. *L. 36. ff. de hered. inst.* Vinn. *selektar. 99. l. 2. q. 22.* Carpz. *p. 3. c. 2. d. 5.* Lauterb. *l. c.* Quin & si testator expressè declararet, heredem unicum in re certa à se institutum illa re contentum esse debere dicendo: Titium heredem instituo in domo mea, nihilque prætere ei dari volo: adhuc eum heredem verum esse, & succedere in universum jus defuncti exceptis legatis, si qua sint, tenent Fachin. *L. 4. controu. 15.* Alex. in *L. quovies, c. de hered. inst. num. 11.* Imol. *ad eund. tit. n. 64.* Menoch. *L. 4. præsump. 20. num. 4.* Peregr. *l. c. num. 13. §. c.* Arg. *L. 1. §. 4. §. l. 74. ff. de hered. inst.* ex eadem ratione paulo ante data. Contrarium tamen, nimirum non esse in hoc casu testamentum, sed heredes succedere ab intestato; ita tamen, ut Titio tanquam legatario restituatur rem illam determinatam, sententibus apud Reiffent. *h. t. num. 24.* Haunold. *Tom. 2. tr. 6. c. controu. 3. num. 304.* Gomez. Molin. & alii. Arg. *L. 9. §. 13. ff. de hered. inst.* & ex ea ratione; quod in hoc casu constat de testatoris voluntate, eaque certò patens sit adimplenda; eà autem impletà verus heres non adfit; adeòq; hæc dispositio in ratione testamenti non subsistat. De cætero ipsi responsioni contrarium locum habet in testamento militis; cum in eo observetur jus gentium, cui repugnat pro parte testatum, & pro parte intestatum decedere. unde si is instituerit aliquem in re certa, partes reliquæ veniunt ad heredes ab intestato Lauterb. *l. c.* juxta *L. 6. 17. 37. ff. l. 2. c. de testam. milit.* Quin & in Hollandia consuetudine generaliter receptum, quemlibet pro parte tantum testatum posse decedere, testatur apud Lauterb. Gudelin. *de jure novo, l. 2. c. 5.* uti & Christianus. *vol. 1. decis. 51. n. 48.* de Belgio. quâ consuetudine positâ, abolitum jus illud eccrescendi esse extra dubium, ait Muller. *ad ff. de hered. inst. ch. 7. lit. a.* Quòd si etiam testator institutus in re certa non adhibuisset verbum heres, nec de eo implicite per designationem universi juris, seu totius hereditatis constat, non censetur testamentum, utpote de cuius essentia est institutio heredis; sed potius codicillus, ut si diceret testator: filio meo Titio relinquo hoc prædium: fecus, si diceret: Titius heres meus sit in hoc prædio. ita tenent Haunold. *l. c. num. 301.* Menoch. *l. c. num. 3. §. 9.* Hunn. *l. c. num. 14.* Reiffent. *h. t. n. 423.* Idem dicentes esse, si testator omisso verbo heres, utetur verbo *Instituo*, dicendo: Titium instituo in hoc prædio. quod tamen non satis securum putat Reiffent. cum terminus ille *instituo* sit generalis competens etiam legatariis.

Quest. 644. An & qualiter plures simul possint in heredes institui.

Resp. Primò: possunt plures, & quotquot testator vult, simul ab eo institui heredes. *R. P. Leurr. jur. Can. Lib. III.*

§. 4. Inst. de hered. inst. ubi terminus in *institutum* accipitur non crudè, sed civiliter pro numero indefinito, uti sumitur quoque in aliis pluribus legibus. Muller. *l. c. th. 6. lit. a.* ita tamen, ut voluntas testatoris habere possit effectum; cum si quis totius mundi homines institueret heredes, institutio tanquam derisoria rejiceretur. Lauterb. *l. c. §. 13.* Arg. *L. 14. ff. de condit. & demonstr.*

2. Resp. Secundò: si plures instituantur simpliciter, pariformiter & universaliter, nullo eorum instituto in re certa, sive omnes sint necessarii, sive extranei, sive partim extranei, partim mixti, testatore v. g. dicente: filium meum, uxorem & fratrem meum instituo heredes; omnes æqualiter succedunt, sive singuli æqualem portionem accipiunt; scilicet uxor tantundem, quantum frater, & hic tantum, quantum filius juxta clarum textum. *§. si plures. Inst. de hered. instituend.* Limitandam tamen responsionem, ita ut, si plures heredes necessarii, inter quos est ordo successionis, instituantur. v. g. testatore dicente: instituo heredes meum filium & nepotes: præsumatur institutus proximus hæres solus ex asse; alter verò substitutus, successurus priùs post mortem proximioris, asserit Reiffent. *h. t. num. 431.* citatis Mantic. *de conject. L. 4. tit. 7. n. 1.* Menoch. *L. 4. præsump. 18. n. 15.* Covar. *inc. Raynuius, h. t. §. 2. n. 6.* fundatâ hac limitatione ferè in præsumptione voluntatis testatoris. Idem tenet Clar. *§. testam. 9. 80. num. 3.* dum ait: quando plures vocantur per copulam & inter quos est ordo successionis, & simul necessitas institutionis, qualis est, dum simul & semel instituantur filius & nepos, non censentur vocati simul & semel, sed ordine successivo; nempe primò filius solus, dein post hunc nepos. Cujus contrarium esse dicit *num. 2.* citatis pro eo quamplurimis; quòd veniant omnes simul & semel, si plures vocati per copulam & inter quos solum cadit ordo caritatis & affectionis absque ulla necessitate instituendi. v. g. testatore dicente: instituo fratrem meum & ejus filios. In priore casu filii & nepotes vocati ordine successivo, & filius non censetur gravatus fideicommissò; ut nimirum restituat hereditatem nepotibus testatoris, sed hi solum vocati per vulgarem substitutionem. ita Clar. *l. c. num. 4.* citans pro hoc Decium. *conf. 205. post num. 9.* Ferrer. *conf. 10. num. 1.* Paris. *L. 2. conf. 82. num. 11.* In posteriore casu, dum plures, inter quos solum intercedit ordo caritatis, vocati per alternativam vel; v. g. instituo fratrem vel ejus filios; non videntur vocati simul & semel, sed ordine successivo, primò nimirum frater & dein ejus filii per fideicommissum. Clar. *num. 5.* dicens, in hoc convenire omnes. Si autem hæ personæ vocentur per dictionem cum, v. g. instituo Titium cum Cajo: veniunt simul & semel, non successive. Clarus. *n. 6.* cum Jas. in *L. Gallus. §. quidam rectè. ff. de liber. & posthum. num. 30.* dicente communem. Si denique plures vocantur sub nomine colectivo cum aliis sub duplici denominatione. v. g. instituo Titium & nepotes Caii, isti plures respectu Titii habentur pro uno tantum; ideoque faciendæ sunt duæ partes, nulla habita ratione, quòd nepotes Caii sint plures numero. Clar. *num. 7.* cum Socin. Jun. *L. 1. conf. 104. num. 25.* dicentes quo communem: Quòd si aliqui ex pluribus conjunctim, aliqui se junctim nominati essent, dicente testatore: Titius meus heres esto; Cajo & Mevius heredes sunt: hereditas dividenda in duos

duos semisses, quorum unus cedat duobus illis conjunctim nominatis; cum conjuncti unius potestate fungantur. *L. 11. § 59. §. 2. ff. de hered. instit.* alter semissis alteri conjunctim nominato. Menoch. *L. 4. præsump. 18. num. 10. citatis plurimis*. Si tamen frater & defuncti fratris filii instituti simpliciter, fratris filii collectivè sumpti unum semissem accipient. Durant. *de arte test. c. 4. cautel. 3. Lauterb. l. c. §. 14.* Quia in dubio testator juris communis dispositionem secutus videtur. Si verò instituti addita particula *aque*, simul omnes & singuli in capita in aequalibus portionibus instituti censentur. Lauterb. *l. c. citans. L. 13. ff. de hered. instituend.*

3. Resp. Tertio: possunt quoque plures simul institui hæredes in rebus certis, sive ea sint aequalis, sive inæqualis valoris. v. g. unus in vinea, alter in agro, alius in domo, ut supponunt AA. in quo casu quis eorum capit rem illam certam, in qua institutus, tanquam prælegatum; in reliqua verò hereditate aequaliter, ac si nullæ illis adscriptæ partes essent, succedunt. *L. 35. junctâ. L. 9. §. 13. ff. de hered. instit.* Sichard. *ad L. quoties. 6. cod. num. 6.* Donell. *ibid. num. 5.* Tusch. *lit. 7. concl. 232.* Hunn. *l. c. num. 15.* Reiffent. *h. t. num. 46.* Struv. *in ff. de hered. instit. th. 6. lit. e.* Muller. *ibidem.* ubi ait: pars, quæ vacat, cuilibet pro rata portione, in qua institutus hæres, tacite accrescit. Cui posteriori contrarium videtur dicere Lauterb. *l. c. §. 15.* dum ait; hoc casu rerum mentiones detrahuntur, & hereditas in aequales portiones dividitur, etiam si magna sit disparitas rerum, in quibus institutus, cui consentit Reiffent. citatis pro eodem Haunold. *l. c. num. 303.* Perez & alii, addita tamen limitatione: nisi manifestè constet, voluntatem testatoris fuisse, ut sicut inæqualiter instituti in rebus certis, ita etiam inæqualiter succedant in reliqua non determinata hereditate. Quod si verò institutio plurium facta est difformiter, id est, aliqui instituti in re certa, reliqui simpliciter seu universaliter in indeterminata parte, nimirum in reliqua parte hereditatis, sive quæ est extra res illas certas. v. g. testatore dicente: Titium & Cajum pro hæredibus instituo; & volo, ut Titio pro portione sua hereditaria obveniat mea domus; in eo inquam casu ij, qui in certa re instituti, veniunt tantum ut legatarii, & solum quò ad externam verborum formam vocantur hæredes, remque illam certam capiunt tanquam legatum. Lauterb. *l. c. §. 17.* Reiffent. *h. t. num. 427.* juxta clarum textum. *L. 13. c. de hered. instit.* ita tamen, si universaliter seu simpliciter instituti deficiant, & hereditatem adire nolint; ij, qui in certa re instituti gaudeant jure accrescendi, & ad eos tota devolvatur hereditas. Lauterb. *l. c.* Est tamen hic faciendum discrimen inter institutos in certa re & institutos in certa parte, quales dicuntur, quibus assignata certa pars hereditatis. v. g. bes, quadrans, triens absque eo, quò assignatum individuum aliquod, aut certa quantitas, licet talis certa pars multa & varia complectatur individua rerum, & varias pecuniarum quantitates efficere possit; hi enim non veniunt nomine legatariorum, sed hæredum, cum ut dicitur. *cit. L. 13.* omnibus hereditariis actionibus uti & conveniri possint, absque eo, quò harum actionum occasione hæredum ex certa parte scriptorum diminutio fiat. Atque in hoc casu, si partes assignatæ adæquent aliam, nihil mutatur in institutione, nec quicquam superest, de quo

quæri possit, ad quem pertineant. Si sunt supra alsem. v. g. tres ex semisse instituti, & sic faciant 18. uncias, singulis portionibus hereditariis uncia, quæ supra alsem sunt, decrescunt, vel res ad dupondium deducitur, seu hereditas tota, quæ aliàs in 12. uncias dividi solet, dividenda in duplo plures uncias seu partes (non enim necesse est, ut tempore testator in 12. uncias dividat, sed potest tot partes facere, quot voluerit. Muller. *cit. th. 6. lit. d.*) nempe 24. uncia superflua accrescunt singulis pro portione hereditaria. §. 7. & 8. *Instit. & L. 13. §. 4. ff. de hered. instit.* Si partes assignatæ sint infra alsem. v. g. tres, & singuli ex quadrante instituti, portio vacans singulis pro portione hereditaria accedit, ita Lauterb. §. 16.

Quest. 645. Exhereditatio quid sit.

1. Resp. Exhereditatio, comprehendo simul condiciones ad eam essentialiter requisitas describi potest, quòd sit exclusio hæredis aliàs necessario instituendi ab hereditate futura, facta simpliciter & purè in testamento expressis verbis ex causa legitima & probata. Dicitur primo: *hæredis necessario instituendi*: quibus verbis comprehenduntur tam descendentes respectu ascendentium; quam ascendentes respectu descendentium; cum tam liberi parentes, quam parentes liberos exhereditare possint. Auth. *non licet. c. de liber. præter.* Muller. *ad struv. in ff. de liber. & posth. hered. instit. vel exheredand. th. 32. lit. a.* Excluduntur verò extranei, qui non dicuntur propriè exheredari: & inter hos consanguinei & collaterales omnes, etiam fratres; quamvis & hi in casu, quo turpis persona est hæres, ex causa legitima exhereditari possint. De quo vide Reiffent. *h. t. num. 506.*

Dicitur secundò: *ab hereditate simpliciter*, id est, universalis, seu ab omnibus bonis paternis; non enim rectè quis dicitur exheredari in certa aliqua parte hereditatis, non obstante, quòd possit quis in re certa tantum institui. Lauterb. *ad ff. de lib. & posthum. hered. instit. vel exhered. §. 6.* Reiffent. *h. t. num. 479.* Arg. *L. 19. ff. de liber. & posthum.* ubi etiam assignatur ratio disparitatis; quòd causa institutionis benignè accipiatur & exheredationis non sint adjuvanda.

3. Dicitur tertio: *facta purè*, id est, non sub incerto pendentis conditionis eventu. Muller. *ad ff. de liber. & posthumis. th. 32. lit. z.* ex ea etiam ratione, quòd liberi non nisi cum certo judicio removendi sint à parentum successione; judicium autem non videatur satis certum, quòd suspenditur in futurum eventum. His non obstante, quòd institutio fieri possit sub conditione tam potestativa quam casuali; cum institutio sit favorabilis, exhereditatio odiosa. Muller. *l. c. cum Zoës. ad ff. de liber. & posthum. instit.* Wissenb. *exercit. II. th. II.* Excipit tamen Muller. cum Brunem. *ad tit. eund.* casum, quò filius sub conditione institutus, sub conditione contraria exheredaretur. citans pro hac, *L. 4. c. de instit. & substit.*

5. Dicitur quartò: *futura*: siquidem bona paterna vivente testatore non dicuntur propriè hereditas, sed patrimonium, & non nisi post mortem testatoris hereditas. Unde licet vivo testatore exhereditatio scribi possit in testamento, non tamen nisi post mortem illius effectum habet.

5. Dicitur 5º: *facta in testamento*: non enim fieri potest in codicillis; cum institutio & exhereditas sint

nota propriae testamenti. §. 3. *Inst. l. 7. c. de codicill. l. 14. de testam.* Lauterb. l. c. §. 4. Muller. l. c. Unde etiam non valet exhereditatio facta in divisione bonorum à parentibus inter liberos. Lauterb. l. c. cum Strýck. *tr. de cautel. testam. c. 19. §. 13.* & quidem ut exhereditatio legitime & rite facta sit, requiri, ut sit facta in testamento solenniter facto, & omnibus numeris absoluta, ait Muller. l. c. juxta §. 34. *Inst. de Legat.*

6. Dicitur sextò: *verbis expressis*: quò spectat, ut fiat verbis dispositivis, nominando filios singulos nomine proprio & cognomine, quos exclusos ab hereditate cupit, juxta *pr. & §. 5. Inst. de exhered.* Muller. l. c. nisi tamen unicus sit filius vel filia; hunc enim suo nomine vocare necesse non est; sed sufficit dicere: filius meus exheres esto. §. 1. *Inst. eod.* & per hoc potissimum differt exhereditatio à præteritione; quæ est pura oppressio heredum ab intestato venientium. *L. 1. c. de lib. & posth.* & hæc præteritione quasi tacita exheredatione sine expressa exheredatione testamentum nullum est quò ad institutionem; cum exhereditatio non minus quam institutio sit caput & fundamentum testamenti. *L. inter darentia de liber. & posth. Vaq. de success. l. 2. §. 14. n. 142.*

7. Dicitur septimò: *ex legitima causa*: si enim facta exhereditatio sine illa causa, vel cum aliquali quidem causa, non tamen legitima & sufficiente, iniqua & nulla est, testamentumque ipsum nullum erit quò ad institutionem juxta *Novell. 115. c. 3. in pr. & fin. & Auth. ex causa. c. de liber. præterit.* dum autem cit. *Novell.* dicitur testamentum evacuari, everti, rescindi, id intelligendum, non per querelam inofficiosi testamenti; sed ipso jure. *Arg. L. ult. c. de liberor. præterit.* dum ibi *vers. sancimus.* Dicitur ipso jure everti. Muller. l. c. lit. n. cum Bachov. *ad pr. inst. de inoff. testam. num. 5.* contrarium tamen sentientibus *Treutl. vol. 1. d. 11. r. 1. lit. h. Fachin. l. 4. controuv. c. 9. Zoës. ad ff. de liber. & posth. n. 1. & seq.*

8. Dicitur octavò: *causa expressa in testamento*: intellige, specificè & nominatim juxta *cit. novell.* & quòd nisi factum, idem est quòd ad effectum; ac si nulla vel illegitima causa allegata, quemadmodum, sicut in eo, num tale testamentum, in quò causam non expressa, vel non expressa specificè, sit nullum ipso jure; an stricto jure valeat, & solum rescindendum per querelam (quæ intra quinquennium proponi debet, dum alias, si nullum ipso jure, agi possit per 30. annos, ut Muller. l. c. cum Viglio. *ad pr. inst. de inoff. testam. num. 4.*) contravertunt AA. ita quoque contravertunt, num tale testamentum nullum quò ad institutionem, subsistat tamen, & everti nequeat quò ad legata & fideicommissa; an vero corruat quoque quò ad hæc. Posterius tenent *Vaq. de success. progres. §. 14. num. 125. Fränzk. exercit. 6. q. 3. Cujac. in l. 17. ff. de injust. rupt. & irrit. testam. & in l. 4. ff. de liber. & posth. inst. Treutl. vol. 1. d. 13. r. 7. lit. c. & alii apud Muller. l. c.* Prius, nempe sustineri & conservari illud quò ad legata, non quidem ex juris antiqui dispositione; sed ex speciali beneficio legis scilicet *cit. Novell. 115. & Auth. ex causa tenent Paris. l. 2. cons. 60. num. 36.* qui testatur de communi. *Clar. §. testam. q. 52. num. 1. Fachin. l. 4. controuv. 10. & l. 6. c. 77. Arumæ. exercit. 10. r. 2. Donell. ad cit. Auth. a num. 7. Humn. var. resol. 2. tr. 5. q. 12. & 13.* & alii, quos citat & sequitur Muller. l. c. ex ea etiam ratione quam affert *Clar.* quòd cum injuria facta filio exheredato sit, tantum quò ad institutionem;

R. P. *Leur. Jur. Can. Lib. III.*

valde rationabile sit, ut in ea tantum parte annulletur testamentum, in qua peccatum. Non obstant huic sententiæ, quòd nemo ex parte testatus, & ex parte intestatus decedere possit, cum id verum in casu, dum ab initio ita testatur de parte tantum bonorum, & sic decedit; non verò, dum ab initio testatus est de omnibus bonis, & ex post testamento pronunciat nullo, testatus pro parte, scilicet quò ad legata, & pro parte, scilicet quò ad institutionem, intestatus decedit, uti id fieri posse constat ex *L. 15. §. fin. ff. de inoff. testam.* Muller. l. c. Porro disposita per. *Auth. ex causa & Novell. 115.* de nullitate testamenti quò ad institutiones ratione præteritionis non expressa illius causam locum habent, non tantum in præteritione facta de filio per matrem aliosque ascendentes per lineam maternam (quæ alias facta cum causa habetur pro exheredatione, ut *Clar. l. c.*) ut volunt aliqui apud eundem; sed etiam in filio emancipato, ut cum *Bart. & Jalon. in cit. Auth. Clar. l. c.* addita ratione; quòd valde incongruens esset, filium emancipatum esse melioris conditionis quam suum. Item locum habent tamen in filio jam nato scienter à patre præterito, quam in posthumo. *Clar. num. 3.* citatis pluribus aliis. *Secus,* seu locum non habent in filio posthumo ignoranter præterito, ut *Idem num. 4.* citatis aliis contra *Paris. cit. cons. 60. n. 60.*

9. Dicitur denique: *probata*: ut enim sustineatur testamentum & exhereditatio, requiritur causam illius testamento insertam legitime probari. *Arg. cit. Novell. 115. c. 3.* & ubi ea non probatur, semper est locus. *Auth. ex causa. ut ibi Bart. num. 9. & Jalon. num. 8. Alex. num. 8. Corn. l. 2. cons. 158. col. 5. lit. 7.* & alii quos citat & sequitur *Clar. num. 6.* item Muller. l. c. lit. d. debetque fieri hæc probatio per heredem scriptum, in quò correctæ sunt jura antiqua. *L. 28. c. de inoff. testam.* vi quorum exhereditatio incumberebat onus probandi suam innocentiam. Muller. l. c. lit. y. eo quòd leges non præsumantur liberos parenti odio fuisse sine magnis & gravibus causis, quibus parens provocatus fuerit ad exheredationem. De cætero ubi exhereditationis causa à testatore omiſsa in testamento, ad eam probandam hæres institutus audiendus non est. Muller. l. c. r. 33. lit. z. Ubi verò ea non inserta testamento, vera quidem est, sed hæres eam probare nequit, filium, etsi conficius sit veritatis, agere posse contra testamentum, tum quia leges solum validam volunt exhereditationem, quando causa probatur; tum etiam quia exhereditatio est pœna; hæc autem non debeat, nisi delictum probetur, affirmat *Molin. apud de Lugo. de 7. & 7. Tom. 2. d. 24. num. 165.* qui tamen ipse ait, quòd si hæres deserat rem juramento filii, hic debeat confiteri, saltem si juridicè interrogetur, præcedente semi-plena probatione, vel iis, quæ alias sufficient in aliis delictis, ut reus teneatur confiteri. Illud hic notandum, conditiones ad liberorum exhereditationem requisitas eadem quoque requiri ad exhereditationem parentum & ascendentium, ut constat ex *Novell. 115. c. 4. & Novell. 22. c. 47.*

Quæst. 646. Quenam sint cause legitime exhereditationis.

R Esp. Primò in genere; dum causarum harum tam exhereditationis liberorum 14, quam parentum 8. enumerantur in *cit. Novell. 115. c. 4.* nequaquam mens Imperatoris fuit eas dicto numero

mero circumscribere, ita ut alia similes aut majores excludantur; sed potius eam tanquam generale, sub quibus alia tanquam species continentur, exprimere. quemadmodum sub ea: si quis manus parentibus injecerit: continetur & ea: si filius ab alio patri injici injuriosè passus sit: si ipse patrem pedibus protulerit &c. ita Struv. ad ff. de liber. & posth. hered. instit. lib. 33. Clar. §. testam. q. 41. num. 2. Gomez. var. resol. L. 1. resol. 11. Christian. vol. 4. de eis. Belgic. 19. num. 5. Covar. de testam. c. 16. n. 23. Fachin. L. 6. c. 78. Vasq. de testam. c. 6. §. 3. num. 64. Muller. in stru. l. c. lit. y. citatis plurimis cum communi DD. in Auth. non licet de liberor. præterit. juxta illud L. non possunt ff. de legat. non possunt omnes articuli singulatim aut legibus aut senatus consultis comprehendere; sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere & judicare potest. & ne aliàs sequeretur absurdum; dum nimirum daretur liberis amplior materia offendendi parentes; cum multò plures alias ingratitudines & similes aut majores impietates adversus eos committere sine metu exheredationis possent; atque ita cit. Novell. quæ ingratitudines liberorum vindicare intendit, redderetur illusoria & inanis. Contrarium nihilominus tenentibus Molin. de f. & f. Tom. 1. tract. 2. d. 170. de Lugo. de f. & f. Tom. 2. d. 24. num. 166. Perez. ad cod. de liberor. præterit. num. 18. innixis illis cit. Novell. 115. c. 3. verbis: nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas opponere, nisi qua in hujus dispositionis serie continentur. quæ tamen verba intelligi posse videntur de causis ingratitudinis levioris, de quo paulò post. quæ præterea ab his objiciuntur, vide soluta apud Muller. l. c. lit. e.

2. Resp. Secundo in specie: causæ exheredationis liberorum sunt 14. sequentes. Prima, si quis parentibus manus intulerit, subintelligendo impias, violentas injustè, vel eos percussit, sive pedibus, sive lapide, fuste, ense, aut quavis alia re injuriosè tractaverit, ut Molin. l. c. d. 176. num. 1. Canif. ad c. ult. de donat. num. 5. Muller. ad stru. in ff. de lib. & posth. lib. 33. lit. b. Non tamen sufficiens causa exheredationis videtur; levare manum ad percutiendum patrem; cum Imperator in cit. Novell. utendo verbo intulerit, videatur voluisse excludere conatum, Muller. l. c. Sed neque causa legitima est, si filius pro defensione vitæ suæ ac membrorum patrem injustè & immoderatè castigantem percussit servato modo inculpatæ tutelæ. Covar. ad c. Raynut. h. t. num. 13. Bachov. ad Trentl. vol. 2. d. 32. lib. 6. lit. F. Reiffenst. h. t. num. 484. Muller. l. c. ex ea ratione; quòd quisque fecerit ob tutelam corporis sui, id jure fecisse censetur. L. 2. ff. de f. & f. multòque minus causa est, si pugnans patrem proditorum patriæ vel hosti adhaerentem etiam interfecerit. iidem.

3. Secunda, si filius gravem & inhonestam injuriam parentibus ingesserit. cit. novell. 115. ubi per injuriam. ubi per injuriam intelligitur injuria verbalis, seu contumelia verbis concepta, ut vel sic à præcedente causa, quæ est realis, distinguatur. Clar. l. c. q. 41. num. 3. Muller. l. c. neque enim injuria ponitur hic pro generali causa exheredationis complectente omne genus injuriarum gravium, sed pro speciali. Quid enim aliàs opus fuisset, Imperatorem ponere 14. cum suffecisset ponere hanc unam, & quidem primo loco, subjiciendo dein ei reliquastanquam species generi. Muller. l. c. quænam autem sit gravis injuria verbalis, non ita distinctè explicant AA. Clarus l. c. citans Curtium

Jun. conf. 147. num. 1. Jo-And. in c. fin. de donat. col. penult. in pr. pro exemplo ponit: si quis patrem nominaret proditorum patriæ. Reiffenst. remittit ad Menoch. de arbitris. cas. 263. & Harpr. ad §. fin. Inst. de exhered. liberor. qui etiam num. 23. putat gravitatem non esse metiendam per respectum ad personam patris; cum vel sic vix daretur injuria levis illata patri.

4. Tertia; si quemlibet ex parentibus inclusum esse contingeret, & liberi, qui possunt ab intestato venire, petiti ab eo, & unus ex his noluerit eum recipere in sua fidejussione vel pro persona, vel pro debito, in quantum, qui petitur, probatur esse idoneus: hoc tamen, quod de fidejussione censuimus, ad masculos tantummodo liberos volumus pertinere, &c. verba sunt cit. novell. 115. Etsi autem ibi sermo sit de carcere temporali (cum carcer perpetuus de jure civili ignotus & prohibitus. L. 35. ff. §. l. 6. c. de penis) quia tamen de jure canonico non improbat. c. 3. de penis. in 6. quin & hodie adhuc in quibusdam Imperii locis in usu est, causa hæc procedit tam de carcere perpetuo quam temporali. Muller. l. c. Ut autem locum habeat, ad eam justificandam, necesse est, auxilium à patre peti à filio conscio hujus miserie & petitionis paternæ denegatum fuisse, ut constat ex verbis Novellæ. Perinde autem est ad incurrandam hanc exheredationis causam propter omissam liberationem, sive pater incarcerationis ob as alienum (in quo casu adhuc ex pietate naturali fidejubeat tenetur, etsi exheredationem timere non habeat; quia pater in toto obaratus) sive ob delictum aliamve causam juxta eadem Novell. verba: vel pro persona, vel pro delicto.

5. Quarta; si liberi parentibus in furorem vel dementia lapsis obsequium & curam competentem non præbuerint, à parentibus sanitati restituitis exheredari possunt. cit. Novell. 155. c. 35. §. 12. ubi verò parentes in tali statu dementia decedunt intestati, aut etiam testati, nimirum factò tempore sanitatis testamento, in quo liberi isti, qui postmodum furore corrupti curam non habuerunt, scripti erant hæredes, hæreditas non obstante tali testamento, utpote, quod ex tali causa quòd ad institutionem evacuat juxta cit. Novell. §. 11. in fine, non ad Fiscum (quod hic ut Muller. speciale est contra. L. 2. §. 1. l. 13. §. 14. ff. de his qui ut indigni) sed ad externum, qui pietate motus patrem talem propriis sumptibus sustentavit, ejusque ad mortem usque diligentem curam gessit, transmittitur, modò is prius liberis & cognatis, ut parenti suo succurrant, denunciari. Muller. l. c. Reiffenst. h. t. num. 499. Idem est de liberis, qui patrem aliter ægrotum non curant. L. 3. ff. de his qui ut indigni. Cujac. ad novell. 18. part. 1. Stephan. ad Novell. 15. num. 18. & alii, quos citat & sequitur Muller. l. c. qui etiam in specie id dicit de filio, qui patrem peste aliòve morbo contagioso correptum domo ejicit, nec ipse eum procurat, nec aliis eum commendat, nec modo, quo potest, adjuvat. juxta L. 1. §. 3. de latin. libert. toll. Idem cum Franzk. ad ff. de inoff. testam. n. 78. dicit de eo, qui patrem vulneribus confectum in via, vel paludibus immersum deferit; simulque monet, non quamlibet levem desertionem dicendam esse justam exheredationis causam, sed exprimendam in quibus angustiis, an in summa & extrema inopia, an in periculosa aegritudine, an in infirmitate mentis patrem deseruerit.

Quinta: si liberi in criminalibus causis accusaverint parentes de iis, quæ non sunt contra Principem vel Rempublicam, Idem est, si licet accusatio-

mem ipsi non instituerint, sed alium ad accusandum instigaverint, subornaverint, adjuverint pretio, consilio probationibus; quia eadem est ratio. *L. 3. §. 5. de bonor. possess. Covar. ad c. Rayn. de testam. num. 11. Molin. l. c. d. 176. num. 3. Arumæ. disp. feud. 8. th. 14. Franzk. l. c. Muller. l. c.* Item idem est, si ultro & sponte (non ex officio vel necessitate) testimonium dixerint in istiusmodi causis; cum sponte se offerre ad testimonium dicendum in caput alicujus sit quodammodo accusare. juxta *L. 14. ff. de bon. liber. & ita tenent Covar. de testam. c. 16. num. 15. Muller. l. c. cum gl. in c. vendens. de testib. in 6. proceduntque, etiam si crimen patris verum sit. Novell. 115. c. 3.* De cætero nil vetat, quod minus filius agere possit contra patrem, civiliter eum accusando. Arg. cit. *Novell. ex ea etiam ratione, quod, qui jus suum prosequitur, nulli injuriam faciat. L. 15. ff. de R. 7.* Excipiuntur tamen crimina patris, dum sunt contra Principem, intellige, læsæ majestatis humanæ, quin & divinæ, ut apud Muller. Molin. l. c. perduellionis; si enim, dum pater venit ad perdendam patriam, aut consilio, ope, dolo ad prodendam eam, licet filio etiam eum occidere, ut dictum, multo magis licebit eum de criminibus læsæ majestatis & perduellionis accusare.

7. Sexta; si vitæ parentum per venenum aut alio modo insidiari tentaverint; sufficit proinde ad hoc, ut exheredari possint, solus conatus, ut constat ex verbo tentaverint, consistens in præparando veneno aliisque ad nefandum illud parricidii scelus executioni dandum necessariis, et effectus, scilicet mors parentum inde non secuta, patefactis patri infidiis, vel eodem venenum sumpto veneno abigente. Licet autem effectu re ipsa non secuto exheredari non possint, ut arguit Reiffenst. ab ipso patre, utpote jam defuncto, adhuc tamen hæc causa non caret effectu suo, nimirum privatione hereditatis, utpote quæ ipso jure tunc inducitur. De cætero hanc causam exheredationis cessare, si filius jam parato veneno, aliisque, pœniteat, antequam deprehendatur, vel illud adhibeat, putat apud Reiffenst. Covar. l. c. num. 17.

8. Septima: si delator contra parentes filius exstiterit (in causis civilibus & pecuniariis; de accusatione enim in causis criminalibus criminaliter institutus dictum est paulo ante) & per suam delationem gravia, eos dispendia fecerit sustinere, nimirum in bonis fortunæ; vel etiam famæ; nam de bonis corporis dictum quoque est ante. Quod ipsum etiam procedit, si delatio sit justa & vera, ut Muller. l. c. non verò videtur intelligendum de causis pecuniariis, quæ patri sunt cum ipso filio, dum huic debet, vel damnum in bonis fortunæ intulit. agendo enim contra patrem ad debitum solvendum sibi, vel damnum reficiendum, non videtur ei præberi causa justa exheredationis, etsi inde gravia damna pati cogatur; cum, ut dictum, quivis jus suum prosequendo nulli faciat injuriam; sed dum patri causæ tales sunt cum tertio aliquo, v. g. fisco. quantum autem esse debeat dispendium, ut grave dicatur, Judici arbitrandum relinquuntur. *L. 1. §. 2. ff. de jur. de liber.*

9. Octava: si liberi parentem in captivitate hostium detentum non redimant, justè exheredantur vi. cit. *Novell. quæ tamen vers. hanc autem.* hanc pœnam irrogari non vult minoribus 18. annis ex ea ratione, quod hi propter imbecillam ætatem redemptionem patris nec consilio nec viribus procurare possint. Quod si tamen etiam pater ex captivitate re-

versus in patriam moriatur nullo facto testamento, aut in eo facto liberos, qui 18. annis majores neglexerunt eum redimere, non nominaverit ingratos, videri illis ignovisse ingratitude, asserit. Muller. l. c. cum citato à se Gothofr. ad *Aurb. si captivi c. de Episc. & Cleric.* si autem in captivitate apud hostes decesserit nullo facto testamento, liberis & generaliter omnibus legitimis illius redemptionem negligentibus, uti & hæredibus testamentariis (si quos in testamento, quod fortè ante captivitatem fecerat, scripsit) si & hi scientes se esse scriptos hæredes, in redimendo testatore nihil aut parum solliciti fuerunt, tanquam indignis hæreditas auferatur vi. cit. *Novell. 115. c. 3. §. 13. vers. hoc eodem:* & non fisco, sed Ecclesiæ, ex qua captivus oriundus, applicatur, & quidem, ut Muller. l. c. cum Gerhard. ad cit. *Novell. §. 13.* ea conditione, ut, quod ex eadem hæreditate ad illam pervenerit, in redemptionem captivorum impendatur.

10. Nona: si convictus fuerit aliquis liberorum ex eo, quod prohibuerit parentes condere testamentum, ut, siquidem postea facere potuerint testamentum, sit eis pro tali causa filium exheredandi licentia, cit. *Novell. v. 3. §. 9.* idque, sive dolo malo id fecerit, impediendo nimirum Tabellionem vel testes, ne accedant. *L. 2. ff. si quis aliq. testat. prohib. Molin. Tom. 1. de 7. §. 7. d. 176. num. 9.* sive vi. *L. 1. c. eod. sive metu aut nimis, sive violentis persuasionibus. Carpz. p. 3. c. 5. d. 8. §. seq. Muller. l. c.* Si autem parentes ob talem prohibitionem non facto testamento decesserunt, adeoque ipsi liberos exheredare non potuerint, hæreditas ab iis desuper convictis tanquam indignis auferitur, & fisco vindicatur. *L. 19. ff. que ut indign. aufer. cit. h. ff. si quis aliq. testari prohib. Muller. l. c.*

11. Decima: si cum maleficis hominibus maleficus conversetur filius, ex quibus patet ad exheredationem non sufficere, si cum maleficis conversationem aut societatem habeat, nisi ipse quoque sit maleficus, Maleficorum autem nomine hic veniunt incantatores, qui præstigiis & magicis artibus contra salutem hominum varia nefanda moluntur. *L. 4. c. de maleficiis.* quique Deo renunciantes cum dæmone commercium habent, ejusque ope ciendo tempestates, grandines ventos aliisque malignis artibus nocent frugibus, pecoribus, hominibus. *L. 6. §. 7. c. de malef.*

12. Undecima: si præter voluntatem parentum inter arenas (qualiter vocantur, qui in arenam descendunt, ibi cum bestiis vel hominibus publicè depugnaturi. *L. hæc demum ff. de oper. libert.* quibus hodie dum annumerantur, qui omnis generis armatura invicem concurrunt inter se, & pro pecunia inspicentium se invicem cedunt. *vel mimos* (quo nomine veniunt non tantum illi, qui pro mercede publicè coram communitate ludos seu artem Ludicram exercent, sed etiam jocolatores illi; qui dominis ludi gratia serviunt, quique ut tales eorum conviviis se inferunt, & omnis generis jocos exercent, ut Sichard. in *Lexico. v. mimos.*) sese filius sociaverit, & in hac professione manserit (secus, si vivo patre à turpi & mimica illa vita desistant) nisi etiam parentes ejusdem professionis fuerint. cit. *novell. 115. §. 10.* quam limitationem etiam Bart. ad *L. 1. c. de inoff. testam.* & Covar. in *pralimin. ad c. Rayn. de testam. num. 15.* extendunt ad filiam meretricem, dum mater etiam meretriciam vitam exercet.

13. Duodecima: si novercæ aut concubinæ patris filius se commiscuerit, cit. *Novell. c. 3. seu eam cogit*

cognoverit; siue illæ eum admiserint volentes, siue nolentes; cum in utroque casu patri fiat injuria. Muller. l. c. modò filius id crimen non commiserit ignoranter, nesciens illam fœminam esse uxorem vel concubinam patris sui.

14. Decima tertia: si quis ex prædictis parentibus orthodoxis constitutus senserint filium suum velliberos non esse Catholicos fide, nec in sacrosancta Ecclesia communicare. Sc. licentiam habeant pro hac maxima causa ingratos eos & exheredes scribere in suo testamento. cit. Novell. Quæ etsi ex intentione Imperatoris Justiniani extendant se ad filios orthodoxorum parentum transeuntes ad fidem quamcunque non orthodoxam & Catholicam, forè in partibus Imperii, ubi hodie dicitur toleratur Calvinismus & Lutheranismus in praxi reperirent difficultatem. Vide Muller. l. c. th. 34. lit. 2. E converso verò tantum abest, ut pater Judæus filium conversum ad Religionem Christianam ideo exheredare possit, ut hic potius contra patrem adhuc viventem ad consequendam legitimam agere possit. Manz. de testam. valid. tit. 2. g. 15. summ. 16. Berlich. p. 3. concl. 14. num. 31. Muller. l. c. cum timendum sit, ne pater Judæus omnem substantiam suam in communionem sectæ suæ conferat in fraudem filii conversi.

15. Decima quarta: si alicui ex parentibus volenti filia suæ vel nepti dare maritum & dotem secundum vires suæ substantiæ pro ea præstare, illa non consenserit, sed luxuriosam vitam degere elegerit. ex quibus patet, filiam non ex eo præcisè quòd matrimonium oblatum recuset, possit exheredari, sed quòd reculatis honestis nuptiis oblati, luxuriosam vitam ducat. qualera ducere adhuc non dicitur, si semel vel bis furim copiam sui fecerit. Carpz. part. 2. crim. q. 69. num. 69. Muller, & alii. ac proinde exheredari nequit, præsertim si parentes suo modo sint causa talis turpitudinis, differendo filiam jam 25. annorum copulare matrimonio; sed si multorum libidini pater, pro ut can. 16. dist. 14. meretrix describitur; siue si meretricio more vivens, omnibus passim sese prostituat, & corpore suo quæstum faciat. Porro non potest in hoc casu mater exheredare filiam, si ipsa mater luxuriosè vivat. cujus contrarium est in patre, qui illam exheredare potest, etsi ipse luxuriosè vivat. de Lugo. de 7. & 7. Tom. 2. d. 24. num. 166. Quòd verò hic dictum de filia extendendum non est ad filium, siue majorem, siue minorem 25. annis, ut & hic exheredari possit ob similem casum; cum fœminino nomine, quo utitur Imperator, sexus masculinus, neque proprietate, neque per aliquam interpretationem contineatur juxta L. 81. ff. de legat. 1. De cetero statuit Imperator in cit. novell. c. 3. §. 11. quòd si filia post 25. annum parentibus negligentibus ei maritum dare, sine eorum consensu nupsit, ideo non possit justè exheredari, & ita tenent Perez. ad cod. tit. de dot. promiss. num. 11. Gail. L. 2. obs. 95. num. 17. Coraf. 1. miscell. jur. civil. 17. num. 5. Decius. ad L. nuptias. de R. 7. num. 10. Duaren. ad tit. de inoff. testam. c. 3. Barbof. Covar. & alii, quos magno clat & sequitur Muller. ad ff. de libi. & posth. th. 34. contra Arumæ. exercit. 2. th. 12. lit. b. Guttier. 99. pract. l. 2. g. 1. num. 1. Menoch. de arb. cas. 452. num. 8. Befold. tr. de nuptiis. c. 9. num. 5. & alios apud Muller. Nisi tamen filia se junxerit viro inhonesto & propudioso, qui dedecori sit tam ipsi quam parentibus. nam tunc posse eam exheredari per L. 3. §. 5. ff. de bonor. possess. tenent Cujac. L. 3. obs. 6. §.

Sichard. ad auth. non licet. c. de liberor. præterit. Parif. vol. 3. conf. 29. Alex. in L. 1. ff. de solut. nupt. Felin. in c. idem. h. t. num. 13. cum Glof. in can. de raptoribus. caus. 36. q. 1. v. excusata. Saldem sub hac limitatione; si pater honestas nuptias obtulerit, vel eas non impediverit. Contrarium tenentibus. Covar. de matrim. p. 2. c. 3. §. 8. num. 5. (sub hac tamen distinctione; si contrahat cum indigno & longè inferiore quidem, in facie tamen Ecclesiæ, defendente illum tunc Ecclesia, ut neque à patre, neque à civili Republica propterea puniri possit; secus, si cum tali contrahat clandestinè quam tamen distinctionem rejiciunt alii, eò quòd licet tale matrimonium sit validum, non tamen ex inde sequatur, quòd non possit ob illum contemptum parentum puniri exheredatione seu privatione hæreditatis altiusve pœnis) item Jason. in Auth. sed si. c. de inoff. testam. Molin. l. c. d. 170. Clar. §. 10. testamentum. q. 41. num. 4. Haunold. tr. 6. c. 7. n. 470. & ferè omnibus, quotquot docent præter causas in cit. Novell. 115. c. 3. expressas nullam esse aliam, ob quam parens liberos exheredare possit, ex ea etiam ratione, quòd id repugnet Juri Canonico, contra quòd leges civiles in materia matrimoniali nihil obtinent. Arg. c. tuam de ord. cognit. c. causam. qui filii sint legit. juncto Trid. sess. 24. can. 12. Verum leges civiles statuendo filiam nubentem tali marito contra voluntatem parentum exheredari posse non præjudicant SS. Canonibus, sed potius eos adjuvare, opponunt AA. oppositæ sententiæ, ut pote secundum quos illicitum quòque est tale matrimonium, adeoque à legibus civilibus idem sub pœna exheredationis prohiberi potest, quemadmodum & transgressio aliarum legum Ecclesiasticarum pœnam ab iis non impositam superaddere possunt leges civiles. Secus foret, si leges Ecclesiasticæ positivè vetuissent ob eam causam exheredare filiam illud hic notaridum, quòd, si pater, vel quia ignoravit causas exheredandi, vel quia tempus non habuit condendi testamentum, non exhereditavit filium, hæres nequeat apponere causam omissam, ut filius exhereditatus censetur, vel ut ab eo tantquam indigno hæreditas auferatur. Molin. d. 176. §. cui dubium est. cui consentire videtur. de Lugo. d. 7. §. 7. Tom. 2. d. 24. num. 166. contra alios, quos refert Vasq. de testam. c. 4. n. 8.

Quæst. 647. An filius post commissam contra parentes ingratiitudinem, ob quam exheredari potuit, incidens in furorem, adhuc exheredari possit.

R Esp. Quamvis Bart. in L. ex facto. ff. de vulg. & pupil. subst. num. 19. uti & Jason. in L. post. num. 29. dicens esse communem, asserat posse illum exheredari. Clar. tamen l. c. n. 8. ait sibi hanc sententiam semper visam duram ex eo principio, quòd furiosus puniri non possit propter delicta commissam ante furorem, pro ut docet. L. 5. §. fin. q. 6. vers. item quæro. Quin & licet aliqui teneant, quòd furiosus propterea puniri possit pœnâ pecuniariâ, sibi tamen etiam in hoc contrarium videri verius; ac propterea si talis contingeret casus, se de facili inclinaturum in hanc sententiam, utpote mitiorem & æquioram. & hæc quidem à Claro dici videntur probabilius.

Quæst.

Quaest. 648. An filius de ingratitude penitens, & monasterium ingrediens exhereditari possit.

R Esp. Ad primum: filium talem, si vivo patre, antequam ab eo factum testamentum egerit de commissa ingratitude penitentiam, & patri reconciliatus fuerit, non posse deinceps exhereditari ex ea causa. Alex. in L. ff. solut. matrim. post num. 33. Clar. l. c. q. 42. num. 9. Reiffenst. h. t. num. 504. quod licet in puncto juris noa transiret sine difficultate, ut ait Clar. tenendum tamen in praxi, quia est sententia mitior, & faver successioni filiorum, cui in dubio semper sit favendum. Negat nihilominus de Lugo. l. c. num. 168. cum Vasq & Molin. eo quod licet penitentia quoad Deum debeat culpam, quoad ad forum humanum non reddat delinquentem immunem à poena, sed possit hæc merito ab eo adhuc exigi ob delictum præteritum; adeoque sicut Judex ita & pater justè possit punire filium exheredatione ob commissum delictum, non obstante super eo penitentia. Quod si tamen pater ob penitentiam filii eidem reconciliatus remississet eam erga se commissam injuriam tacite vel expresse, impediretur exhereditatio. Lugo. l. c. num. 167. neque enim videntur jura hanc patri potestatem non procedendi ad exheredationem adimisse; cum cit. Novell. & alibi utantur hoc termino: liceat exhereditare. procedereque hoc ipsum, sive aboleri, seu exhereditatem non habere effectum, licet filius reconcilietur patri prius post factum testamentum habens insertam exheredationem docent Bart. in L. 3. §. fin. cum L. seq. ff. ad impl. legat. & Jason. apud Covar. de testam. c. 16. num. 24. de Lugo. l. c. n. 167. idque, sive tacite, sive expresse remissa injuria, ut Idem cum Vasq. de testam. c. 4. §. 3. du. 5. & Molin. cit. d. 176. §. tota controversia. Neque ad hoc videtur necessaria mutatio testamenti, patre nimirum moriente eo incorrecto; cum AA. citati illius mutationis mentionem non faciant, & absque eo satis de mutata voluntate patris de jure communi constare videatur ex perfecta reconciliatione & remissione, quæ tacitam illam mutationem testamenti continere censetur, Nihilominus contrarium, nempe non cessare de jure communi exheredationem insertam testamento facto post reconciliationem, communiter teneri ab aliis, asserit. Reiffenst. l. c.

2. Resp. Ad secundum: si proles post datam exheredationis causam ingrediatur monasterium, ipso jure cessare exheredationem, seu non debere eam exheredari, etiam non secuta reconciliatione, docent Covar. l. c. num. 28. Abb. L. 2. conf. 7. Felin. in c. Rudolphus, de rescrip. gl. in L. Deo nobis. c. de Episc. & Cler. Lugo. l. c. num. 169. Molin. l. c. §. ult. idque in favorem religionis (quamvis addat de Lugo se multum dubitare de autoritate citatæ Novell.) juxta can. su. caus. 19. q. 9. ubi expresse: non liceat parentibus liberos, nec liberis parentes ab hereditate repellere Monachos factos, quamvis, dum laici fuerint in causam ingratitude incidere, quem

textum etfi Gratianus dicat se sumpisse ex Novell. 123. c. 59. & de eo ibidem nihil habeatur (propter quod alii docent contrarium) quod ad substantiam tamen reperiri c. 41. ejusdem Novellæ 123. quæ non nisi 44. capita continet, ostendunt Covar. & alii.

Quaest. 649. Quenam sint cause ob quas liberi exheredare possint parentes & ascendentes.

R Esp. Sunt octo sequentes in cit. Novell. 115. c. 4. expressæ. Prima: si parentes ad interitum vitæ liberos suostradiderunt. id est, ut gl. accusando eos de crimine poenam mortis inducente, exceptis tamen criminibus læsæ majestatis, uti & secundum Jus Bavaricum crimine hæresis & magiæ teste Manzio. de testam. valid. tit. 10. q. 7. n. 1. aliisque quibusdam secundum jura specialia quarundam Provinciarum. Secunda: si venenis, maleficiis aut alio modo parentes filiorum vitæ insidiati probabuntur. Tertia si pater nurui suæ aut concubinae filij se immiscuerit. Quarta: si parentes filios suos testamentum condere prohibuerint in rebus, in quibus habent testandi licentiam; omnibus videlicet in hujusmodi testamentorum prohibitione servandis, quæ in parentum persona distinguimus. Quinta: si pater uxori suæ, vel hæc illi venenum præbet aut vitæ insidiatur. Sexta si liberis vel uno eorum in furore constituto, eos curare neglexerint: omnia & hic, quæ de parentibus furiosis superius disposuimus. Septima: si liberi in captivitate detenti negliguntur à parentibus. §. 7. cit. Novell. Octava; tandem filius Catholicus exheredare potest patrem hæreticum §. 8. ejusdem Novell. omnes hæc causæ intelligendæ & explicandæ in eo sensu, quo paulò ante explicuimus, limitavimus, extendimus causas exheredandi proles.

Quaest. 650. Quæ sint cause exheredandi fratrem, dum turpis persona instituta est hæres.

R Esp. Fratres (intellige ex utroque parente, vel certè ex eodem patre, qui consanguinei vocantur) qui & ipsi aliàs libere præteriri possunt (etfi enim ab intestato succedant, jus tamen nullum habent) nisi turpis persona instituat hæres, casu, quo id famum, exheredari nihilominus possunt ex causis in novel. 22. c. 47. expressis his verbis: illum solum tanquam ingratum circa fratrem effectum participare hoc lucrum non concedimus, qui mortem voluit fratri, aut criminalem contra eum inducere subscriptionem, aut substantiæ ejus præparavit inferre jacturam: ejus enim portio tam ad reliquos fratres quam matrem veniat, &c. Hæres autem turpis ad hunc finem censetur, qui est infamis infamia juris vel facti, vilis & pravorum morum, puta, ebriosus, dilapidator bonorum, mimus, Leno, filius Presbyteri, & in summa cujus conditio longè distat à conditione defuncti. Lugo. l. c. n. 175.



CAPUT